§. 1. *dicis* edd. vett.: *diligis* CT. ‖ 2. *ueri sed propriis* C. ‖ 4. *idque vel* Goerenz: *idque* * * A, *idque ut* BH, *idque et* cum Davisio T. — *quoad et regalis* C. — *quod in* Orellius: *quod et in* C, *quod* [*et*] *in* T. ‖ 5. *discriptione* Buecheler: *descriptione* C. ‖ 6. *civis* ABT. — *noxium* Victorius: *innoxium* C. — *maior uero potestas* C. — *prouocatione cesto* A, *prouoca-*

tione certo B, *prouocatione testo* H, *provocatio nec esto* T, *provocatio nei esto* Buecheler. — *ploeres* Vahlen: *plures* C. — *iussi erant* C. — *speruanto* C. — *quodquodcumque* C. — *acuncto* C. ‖ 7. *is prius* C. — *urbis tecta templa* Bake: *urbista templa* C, *urbis templa* H^2. — *uias quas* C. — *exin* Buechelero auctore obelo notavit Halmius. — *ordinis parti sunto* C. — *caelibes sed prohibento* C. — *reliqui - - sunto* del. Halmius, post verba *semper esto* transponit Kayser. ‖ 8. *discertator* C. — *potestate p. quotcumque* Stephanus: *potestati p. quodcumque* C. — *appellamino* BH: *appellanto* * A (*to* in ras.), *appellantor* edd. — *ollis* Stephanus: *oius* B, * * *us* (vel *iis*) A^1, *ius* A^{2}H. — *populo* C, *populoi* Feldhuegel, *populoe* Buecheler. ‖ 9. *oenus* Lambinus: *ones* C. — *teneto* Manutius: *tenunto* C. — *equitatumque qui regat* Orellius: *aequitatem cumque qui regat* C. — *consules magisterve populi* Madvig: *consulis magisterue populi* H, *consulis est magistratusue populi* AB. — *nec escunt* nos: *nec runt* C, *non escunt* Feldhuegel, *nec erunt* T. — *ec se* Buecheler et Vahlen: *haec se* A, *exe* H, *ex se* B. — *comitatu* C. — *possiet* Buecheler: *possint* AH^2, *possim* BH^1, *possit* Manutius. — *creauerit* B, *creauit* AH. — *suos* quidam apud Turnebum: *seruos* AH, *seruus* B. — *ei tribuni* Vahlen: *et tribuni* C, *tribuni* alii. Cf. §. 4. — *ii* H^2: *id* AB, *id quod* H^2. ‖ 10. *ast potestas - - seruanto* Buechelero auctore del. Halmius. — *prohibessit* Stephanus: *prohibet se* C, *prohibessit senatus consulta* alii. — *speciem mesto* C. — *cosciscentur* Vahlen: *eoscincentur* A, *eoscicenturor* B, *eos cingentur* H, *consciscentur* edd. — *ast quid* Manutius: *aut quid* C, *ut quid* A^2, *ast si quid* Wyttenbach. — *coerari oesus* Taurellius: *coherario esus* BH, *quoherario esus* A, *coeratore oesus* Turnebus. — *ei qui ius* C. — *creassit* Bake: *rogassit* CT. — *agetur* C. ‖ 11. *adesto* C. — *maiorque* C. — *auctoris* C. — *in aerario condita sunto* Davisius. — *semul* Halmius: *semel* C, *simul* Gruterus. — *consulento - - ducento* C. — *privatisve* coni. Halmius. Cf. §. 43. — *comitatum* C. — *caesoris f.* AB, *caesaris f.* H, sed in marg. *censoris*. — *fidem legum* Madvig: *fidem legem* C, *fide leges* Lambinus. ‖ 12. *descriptio* C. — *in illis libris* Orellius: *in libris* C, *in libris illis* Turnebus. — *potuisse* C. — *cuiusque rei p.* Stephanus: *eiusque in rep.* C. — *non modo multum* codd. dett.: *non multum* C, *aut non multum* cum Madvigio T. ‖ 13. *ut disputes* Halmio auctore seclusi. — *descriptio* C. — *quod faciendum fuit* eiecit Gruterus cum aliquot codicibus, ego seclusi. — *de magistratibus* del. Halmius. — *Diogene* Turnebus: *Dione* CT. ‖ 14. *ab hanc familiam* A, *ab hanc familia* B, *ad hanc familiam* Lambinus, † *ab hac familia* T. — *otioque*] *queodioque* C. — *non minus in* C. ‖ 15. *illis est placeret unum* C. Fort. *illis, si placeret unum*. — *reliqui placerent* C. — *regis vitiis* edd. ante Halmium omnes: *regnis uitiis* B, *regi*is uitiis* A, *regiis vitiis* T. ‖ 16. *quod fuerat* Manutius: *quod fuerit* C. ‖ 18. *cum laudem pede uno* C. — *quam est quemquam* C. — *in hominibus et hoc* C. — *sine procuratore* C. — *videbatur* Ernestius: *uideatur* C. — *mihi Labienus tr.* Moser, *mihi* † *levis tr.* T. Cf. §. 24. — *annum* C. ‖ 19. *Sed* del. Bake. — *est* hoc loco Goerenz: om. C, *nostra est* Turnebus. — *recordare* C. — *necatus* Puteanus et I. F. Gronovius: *legatus* C, *ablegatus* cum Aurato T. — *renatus* Lambinus: *natus* C. — *quid* Madvig: *quem* AB, *quae* alii. ‖ 20. *namque* Bake: *anque* C, *atque* alii. — *ut con flaminius* A, *ut cum flaminius* B. — *liberi gracchi*

C. — *dum brutum* A[1], *du brutum* B, *decium brutum* A[2]. — *curiatus* C. — *Gracchus* edd. vett.: *Gracchi* CT. — *ruinis et iis sicis* Turnebus: *ruinis et iis siciis* B, *ruinis et inscitiis* A (sed m. 2. in ras.), *tribunatus iis sicis* de Halmii coniectura T. — *proiecisset* C. — *perturbavit* cod. Oxon. E: *permutavit* CT. — *Saturnino, Sulpicio* Goerenz: *saturnini supplicio* C. ‖ 21. *proferam* corr. A: *proferat* B, *profero* coni. Halmius. — *cui necesse quidem* C. ‖ 22. *bona futura reddere potuit* C. ‖ 23. *vituperari potest* Feldhuegel: *uitupet . . . est* A[1], *uitupetest* B, *uituperabilis est* A[2]. — *ducem quod habet* C: *ducem quom habet* cum Bakio T. — *se* Moser et duo Ambrosiani: om. C. ‖ 24. *neglectus* Manutius: *nectus* C. — *evertit* Vahlen: *fuerat* C. — *illud aliud* C. — *intercedenti* Madvig: *intercedendi* C. — *maiorum in illo* Manutius: *maiori nihilo* C. — *plebe ista patribus ista* A, *plebe ista* (mediis omissis) B. — *putarent* Ernestius: *putarint* C. — *Gracchi perniciosi fuerunt* Kayser. — *creantur* C. — *non nullos* Lambinus: *nullus* A[1]B, *nullos* A[2]. — *quam bonos* Halmius: *non bonos* C. ‖ 25. *praeclaris institutis* Feldhuegel et Bake: *praeclarissimis* C, † *praeclarissimis* T. — *addiceretur* C. — *incitata* priore loco ego delevi. — *adiuncta errore* C. — *cui nisi* Halmius: *cui* A[1]B, *cui si* A[2], *cui si non* alii. — *liber, sed servus* Goerenz: *liber servus* C, *liber, sed etiam servus* alii. ‖ 26. *tribuniciaque vis* Goerenz: *tribunitia quis* C. — *in metallum* AB. — Verba *qui hoc facere debent*, iam a Rathio in suspicionem vocata, del. Halmius. — *manere inprobam* C. — *aut equidem* C. — *Att. Nec me hercule ego* Madvig et Bake: *nunc me hercule ego* AB, *Q. Nunc mehercule. Att. Ego* priores edd. ‖ 27. *commitatus* C. — *populare est* Turnebus: *popularem* C. ‖ 28. *quoque is creuerit defendat* C. — *principes ordines* C. — *lex est* Lambinus: *lex* C. — *et late patet* Turnebus: *et laterat et* C. (*et laterat et ut uitio careat ordo et* obelo praefixo seclusit Halmius.) — *quaerit* Turnebus: *quaerat* C. ‖ 29. *retinent* C. — *dicimus* C. — *fortasse est quod fuerit* C. ‖ 30. *praeteriero. ceteris* Lambinus (in marg.): *preteris* C, *praeterii. Ceteris* alii. — *si tenemus, tenemus* Bake: *si tenemus* C, *si est, tenemus* alii. — *interiorem* C. — *inferioris* Victorius: *interioris* C, *tenuioris* alii. ‖ 31. *repertas* C. — *cupiditatibus eisdem* Lambinus: *cupiditatis eiusdem* C. — *secutam* Stephanus: *secuturam* A, *securam* B. ‖ 33. *proximus autem est* C, *Proximum est autem* cum Stephano et Manutio T. — *deinsuffragiis* C. — *mercule atiendi* C. — Verba *in magistratu - - rogatione*, ex §. 35. consarcinata, del. Bake. — *ac de reo* Feldhuegel: *an de reo* C, *aut de reo* alii. — *atque in* Turnebus: *qui in* C, *aut in* alii. — *legum rogatione* Madvig: *lege aut rogatione* C. — *clamant palam* C. — *ferri* Bake: *ferre* C. — *obtinerine iam possit* Madvig: *optinere* (*optineri* corr. B.) *an possunt* C, *obtineri an possit* alii, *optinerene iam possimus* de Halmii coniectura T. Cf. §. 37. ‖ 34. *Atqui* Feldhuegel et Halm: *quia* A, *qua* B, om. alii. — *optinere* AB. — *sed obest* C. — *quis* Manutius: *qui* AB. — *tabellaria lege* C. — *abstulisset* A teste Halmio, *obtulisse* teste Bakio, *obtulisset* B. — *vocis* Turnebus: *uoces* C. ‖ 35. *iudiciis* Bake: *iudicio is* C, *iudicio* alii. — *popularis aurae* Bake: *populari ratione* C. ‖ 36. *coelius* C. — *se, ut* Stephanus: *sed ut* C. — *Popilium* Stephanus: *populum* C. — *nocuisse* Davisius: *nocuissent* C. — *fluctus* Ferrarius: *fletus* C, *flatus* alii. — *filius eius* A: *filius eius marius* B, *filius eius* [*Marius*] T. — *quidem avo, cum* Lambinus: *quidem qui cum*

C, *quidem, cum* alii. — *ad senatum* Madvig: *ad se* CT. — *delata, M. Scaurus* Bake: *delatam scaurus* A¹B, *delata scaurus* A². — *utinamque inquit* C, *utinam quidem, inquit* Moser. || 38. *Vos quidem* Turnebus: *uosdem* A¹B¹, *uos demum* A²B². — *ita libertatem istam* Klotz: *ista libertatem istam* A¹, *istam libertatem istam* B, *libertatem istam* A², *istam libertatem ita* Goerenz. — *boni* Odinus: *bonis* C. — *tollet* A¹B, *tolleret* A². || 39. *tantum* edd. vett.: *tamen* C. — *ut desinat* Halmius: *ut ne sim* C, *ut ne sint* alii. — *ut in eo* Turnebus: *utine* C. || 40. *praeclara est* Halmius: *praeclare* C, *praeclara* alii. — *quae cum populo* om. C. — *aguntur* C. — *auctor* C. — *quod est - - non difficile* Halmius: *quod si - - non difficile* C, *quod - - non difficile est* alii. — *enim senator* edd. vett.: *enim ipse senator* CT. — *ab auctorem* C, *ad actorem* Turnebus. — *in sententia* del. Orellius; etiam verba *nam brevitas - - laus est* delenda censet Kayser. — *nisi ut peccante* C. || 41. *res publica* del. Manutius. — *omne esse* Halmius: *omnes* C, *omne* alii. — *memoriae, sine* Halmius: *memoria est ne* C, *memoriam esse sine* alii, *memoriae esse sine* Stephanus. || 42. *nihil minus civile et humanum* Halmius: *nihil minus * * ciuile est* (*est et* corr. m. 2.) *humanūs* (*humanius* m. 2.) A, *nihil minus et civile et humanum* alii. — *praestius* C. — *actores* C. — *dici* C. — *de Cn.* Lambinus (et Lagom. 11.): *dign.* A, *de C.* alii. — *coeptum est* coni. Halmius. — *amitti* C. || 43. *sequitur*] *quitur* C. — *p.* (i. e. *publico*) Orellius: om. CT. Cf. §. 11. — *meminisse se* Lambinus: *meminisse* C. — *in auspicia* C. — *opem rei p. ferre* Manutius: *opem rep ferret* C, *opem referre* alii. || 44. *tolli* C. — *comitiatu* Stephanus: *comitatu* C. — *inventis* Turnebus: *intis* C, *notis* cum Davisio T. — *ne cogitatis* Lambinus: *negotia*is* (*a* et *is* in ras.) A, *negotia his* B. — *in privos homines* Scaliger. — *vis sit, ut sit scitum et iussum* Rathius: *uis sit scitum est iussum* C, *vis sit, ut unum sit ius* Madvig. — *singulis si cent.* A, *singulisi cent.* B. — *descriptus* C. — *consilii* Stephanus: *silii* A¹B, *auxilii* A². || 45. *omnia* Halmius et Feldhuegel: *amici*a* A¹, *amicitia* A²B, *comitia* alii. — *posse neque* Turnebus: *possenteque* A¹B, *possent neque* A². — *latrones* Turnebus: *patroni* C. — *se* Turnebus: om. CT. — *sentirem* C. || 46. *Sequitur - - de ambitu* Goerenz: *sequitur - - de ambitu leges* A, *sequit - - de ambitu legis* B, *sequuntur - - de ambitu leges* alii. — *cum - - sancienda sint* codd. dett. et edd. vett.: *cum - - sanciendae sunt* C, *quoniam sancienda sunt* cum Feldhuegelio T. — *creabantur* Bake: *creantur* CT. — *nec ii solum* edd. vett.: *nei solum* C, *nec solum* alii. || 47. *melius rationis* (om. *est*) C. — *satis etiam* C. — *si non tacemus* A, *sin tacemus* B. || 48. *est quid requiras* C. — *peti* Manutius: *lego* C. — *plerosque* Stephanus: *rosque* B, *quosque* A. — *cum* dett. multi: *quoniam* (per compendium) C. — *de potestatetum iure* C. || 49. *pot. non pluribus* C. — *sodalie peritum - - et diligent* C. — *nos autem* Bake: *nos at* C. — *cogitare* Turnebus: *cogitari* C. — *atque* Turnebus (et Lagom. 11.): *et quae* C. — *prosum* Halmius: *procum* C, *profecto* alii.

FRAGMENTA

LIBRORUM DE LEGIBUS.

Fr. 1. Vide ad I, 33. || Fr. 2. ad librum IV, 4. de re publica pertinere arbitratur Feldhuegel, ad locum de educatione et de disciplina (de legg. III, 30.) refert Reifferscheid l. l. p. 277. || Fr. 3. errore

quodam a Lactantio ex alio libro ad hos de legibus translatum esse statuit Bake. || Fr. 4. ab his libris vere abiudicasse et ad libros de re publica retulisse videtur Bake, uncis ego inclusi. || Fr. 5. Verba *dignis igitur largiendum est* ego Servio reddidi; *stipem - - domos* ex libri II. §. 40. sunt repetita. || Fr. 6. primus addidit Halmius. — *rerum* Endlicher: *uerum* cod. || Fr. 7. *descendatur* codd. || Fr. 8. libris de legibus vindicavit Bake (praef. p. xxviii.), ad sextum librum refert C. G. Zumpt (in Annalibus criticis Berolin. a. 1842. vol. II. p. 249 sq.): om. T. || Fr. 9. Hoc quoque ego primus huc retuli.

M. TULLII CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCUM FILIUM
LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS
ARGUMENTUM.

M. Tullius rei publicae libertate sublata cum ad philosophiae studium se rettulisset multosque eius locos insignes latinis litteris illustrasset, tres de officiis libros ad filium tum temporum litterarum causa Athenis degentem scripsit exeunte anno u. c. 710. (Cic. ad Atticum XVI, 11, 4.) Atque in hoc primo libro praemissa officii et definitione et divisione consilii capiendi rationem in quinque partes distribuit ac primum de honesto et duobus propositis honestis utrum honestius sit, deinde de utili et duobus propositis utilibus utrum utilius sit, denique de honesti et utilis quae videatur esse contentione disserendum esse dicit (c. 3). Tum formam quandam honesti exhibet a natura humana ductam eiusque quattuor partes facit, sapientiam, iustitiam, temperantiam et fortitudinem seu magnitudinem animi, ex quibus singulis certa quaedam officia nasci docet (c. 4). Ac de his quattuor partibus accurate disputat et quomodo ab iis officia ducantur ostendit (c. 5—42). Huic disputationi subicit honestorum inter se comparationem (c. 43—45).

Quamquam te, Marce fili, annum iam audientem 1
Cratippum idque Athenis abundare oportet praeceptis 1
institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis, tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate: quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attulimus adiumentum hominibus nostris, ut non modo Graecarum litterarum rudes, sed etiam

docti aliquantum se arbitrentur adeptos et ad dicendum et
2 ad iudicandum. quam ob rem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum et disces quam diu voles; tam diu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non paenitebit. sed tamen nostra legens non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique Socratici et Platonici volumus esse, de rebus ipsis utere tuo iudicio — nihil enim inpedio —, orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem. nec vero hoc adroganter dictum existimari velim; nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi adsumo, videor id meo iure
3 quodam modo vindicare. quam ob rem magno opere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui iam illis fere se aequarunt, studiose legas; vis enim maior in illis dicendi, sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus. et id quidem nemini video Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus, nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit iudicium, utrumque certe secuti
4 sumus. equidem et Platonem existumo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronuntiare voluisset, ornate splendideque facere potuisse; eodemque modo de Aristotele et Isocrate iudico, quorum uterque suo studio delectatus contempsit alterum.

2 Sed cum statuissem scribere ad te aliquid hoc tempore, multa posthac, ab eo ordiri maxime volui, quod et aetati tuae esset aptissimum et auctoritati meae. nam cum multa sint in philosophia et gravia et utilia accurate copioseque a philosophis disputata, latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. nulla enim vitae pars neque publicis neque privatis neque

forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum
agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio
potest, in eoque et colendo sita vitae est honestas omnis
et neglegendo turpitudo. atque haec quidem quaestio 5
communis est omnium philosophorum: quis est enim qui
nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat
dicere? sed sunt non nullae disciplinae, quae propositis
bonorum et malorum finibus officium omne pervertant:
nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat
cum virtute coniunctum, idque suis commodis, non
honestate metitur, hic, si sibi ipse consentiat et non in-
terdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere
possit nec iustitiam nec liberalitatem; fortis vero dolorem
summum malum iudicans aut temperans voluptatem
summum bonum statuens esse certe nullo modo potest.
quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione 6
non egeat, tamen sunt a nobis alio loco disputata. hae
disciplinae igitur si sibi consentaneae velint esse, de
officio nihil queant dicere, neque ulla officii praecepta
firma, stabilia, coniuncta naturae tradi possunt nisi aut
ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem
propter se dicant expetendam. ita propria est ea prae-
ceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, quo-
niam Aristonis, Pyrrhonis, Erilli iam pridem explosa
sententia est, qui tamen haberent ius suum disputandi
de officio, si rerum aliquem dilectum reliquissent, ut ad
officii inventionem aditus esset. sequemur igitur hoc
quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos,
non ut interpretes, sed, ut solemus, e fontibus eorum
iudicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videbi-
tur hauriemus.

Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio 7
futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Pa-
naetio praetermissum esse miror. omnis enim, quae
ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a defini-
tione proficisci, ut intellegatur, quid sit id, de quo
disputetur. omnis de officio duplex est quaestio: unum 8
genus est, quod pertinet ad finem bonorum, alterum,
quod positum est in praeceptis, quibus in omnis partis
usus vitae conformari possit. superioris generis huius

modi sunt exempla, omniane officia perfecta sint, num
quod officium aliud alio maius sit, et quae sunt generis
eiusdem; quorum autem officiorum praecepta traduntur,
ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen minus
id adparet, quia magis ad institutionem vitae communis
spectare videntur; de quibus est nobis his libris expli-
8 candum. atque etiam alia divisio est officii; nam et
medium quoddam officium dicitur et perfectum. per-
fectum officium rectum, opinor, vocemus, quoniam
Graeci *κατόρθωμα*, hoc autem commune officium vocant.
atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id officium
perfectum esse definiant; medium autem officium id esse
dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.
9 triplex igitur est, ut Panaetio videtur, consilii capiendi
deliberatio: nam aut honestumne factu sit an turpe du-
bitant id, quod in deliberationem cadit; in quo conside-
rando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur.
tum autem aut anquirunt aut consultant, ad vitae com-
moditatem iucunditatemque, ad facultates rerum atque
copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint
iuvare et suos, conducat id necne, de quo deliberant;
quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. ter-
tium dubitandi genus est, cum pugnare videtur cum
honesto id, quod videtur esse utile; cum enim utilitas ad
se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit ut
distrahatur in deliberando animus adferatque ancipitem
10 curam cogitandi. *in* hac divisione, cum praeterire ali-
quid maxumum vitium in dividendo sit, duo praetermissa
sunt; nec enim solum utrum honestum an turpe sit deli-
berari solet, sed etiam duobus propositis honestis utrum
honestius, itemque duobus propositis utilibus utrum
utilius: ita, quam ille triplicem putavit esse rationem,
in quinque partis distribui debere reperitur. primum
igitur est de honesto, sed dupliciter, tum pari ratione de
utili, post de comparatione eorum disserendum.

4
11 Principio generi animantium omni est a natura tri-
butum ut se, vitam corpusque tueatur, declinet ea, quae
nocitura videantur, omniaque, quae sint ad vivendum
necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut
alia generis eiusdem; commune item animantium om-

nium est coniunctionis adpetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt. sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sentiens praeteritum aut futurum; homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque praegressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque praesentibus adiungit atque adnectit futuras, facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias. eademque natura vi rationis 12
hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem [ingeneratque in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt,] inpellitque ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat; quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit. in primisque hominis est propria veri inquisitio 13
atque investigatio: itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere, cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus; ex quo intellegitur, quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. huic veri videndi cupiditati adiuncta est adpetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura velit nisi [praecipienti] aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti; ex quo magnitudo animi exsistit humanarumque rerum contemptio. nec vero illa parva 14
vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, quid modus. itaque eorum ipsorum, quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit; quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservanda putat cavetque ne quid

indecore effeminateve faciat, tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid lubidinose aut faciat aut cogitet. quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum; quod etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum sit, quodque vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

5 Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam
15 faciem honesti vides, quae si oculis cerneretur, mirabilis amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae. sed omne, quod est honestum, id quattuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri sollertiaque versatur aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia. quae quattuor quamquam inter se conligata atque inplicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, velut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri,
16 eiusque virtutis hoc munus est proprium. ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. quocirca huic quasi materia, quam tractet
17 et in qua versetur, subiecta est veritas. reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur, ut et societas hominum coniunctioque servetur et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis conparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. ordo item et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod est adhibenda actio quaedam, non solum mentis agitatio; iis enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes honestatem et decus conservabimus.

6 Ex quattuor autem locis, in quos honesti naturam
18 vimque divisimus, primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam: omnes

enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cu-
piditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem,
errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. in
hoc genere et naturali et honesto duo vitia vitanda sunt:
unum, ne incognita pro cognitis habeamus iisque temere
adsentiamur; quod vitium effugere qui volet — omnes
autem velle debent — adhibebit ad considerandas res et
tempus et diligentiam; alterum est vitium, quod quidam 19
nimis magnum studium multamque operam in res ob-
scuras atque difficilis conferunt easdemque non necessa-
rias. quibus vitiis declinatis quod in rebus honestis et
cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure lau-
dabitur, ut in astrologia C. Sulpicium audivimus, in
geometria Sex. Pompeium ipsi cognovimus, multos in
dialecticis, pluris in iure civili; quae omnes artes in veri
investigatione versantur, cuius studio a rebus gerendis
abduci contra officium est: virtutis enim laus omnis in
actione consistit, a qua tamen fit intermissio saepe multi-
que dantur ad studia reditus; tum agitatio mentis, quae
numquam adquiescit, potest nos in studiis cogitationis
etiam sine opera nostra continere. omnis autem cogi-
tatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus
honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum
aut in studiis scientiae cognitionisque versabitur. ac de
primo quidem officii fonte diximus.

De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua 7 20
societas hominum inter ipsos et vitae quasi communitas
continetur, cuius partes duae sunt: iustitia, in qua virtu-
tis est splendor maximus, ex qua viri boni nominantur, et
huic coniuncta beneficentia, quam eandem vel benignita-
tem vel liberalitatem appellari licet. sed iustitiae primum
munus est, ut ne cui quis noceat nisi lacessitus iniuria,
deinde, ut communibus pro communibus utatur, privatis
ut suis. sunt autem privata nulla natura, sed aut vetere 21
occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut vic-
toria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, con-
dicione, sorte: ex quo fit ut ager Arpinas Arpinatium
dicatur, Tusculanus Tusculanorum; similisque est privata-
rum possessionum discriptio. ex quo, quia suum cuiusque
fit, eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique

obtigit, id quisque teneat; de quo si quis sibi adpetet,
22 violabit ius humanae societatis. sed quoniam, ut prae-
clare scriptum est a Platone, non nobis solum nati su-
mus ortusque nostri partem patria vindicat, partem
amici, atque ut placet Stoicis, quae in terris gignantur
ad usum hominum omnia creari, homines autem homi-
num causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii pro-
desse possent, in hoc naturam debemus ducem sequi,
communis utilitates in medium adferre mutatione offi-
ciorum, dando accipiendo, tum artibus, tum opera, tum
facultatibus devincire hominum inter homines societatem.
23 fundamentum autem est iustitiae fides, id est dictorum
conventorumque constantia et veritas. ex quo, quam-
quam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen
audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde
verba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum
est, appellatam fidem.

Sed iniustitiae genera duo sunt: unum eorum, qui
inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si
possunt, non propulsant iniuriam: nam qui iniuste im-
petum in quempiam facit aut ira aut aliqua perturba-
tione incitatus, is quasi manus adferre videtur socio; qui
autem non defendit nec obsistit, si potest, iniuriae, tam
est in vitio quam si parentes aut amicos aut patriam
24 deserat. atque illae quidem iniuriae, quae nocendi
causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscun-
tur, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet ne, nisi id
fecerit, ipse aliquo adficiatur incommodo; maximam
autem partem ad iniuriam faciendam adgrediuntur, ut
adipiscantur ea, quae concupiverunt, in quo vitio latis-
8 sime patet avaritia. expetuntur autem divitiae cum ad
25 usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates;
in quibus autem maior est animus, in iis pecuniae cupi-
ditas spectat ad opes et ad gratificandi facultatem, ut
nuper M. Crassus negabat ullam satis magnam pecu-
niam esse ei, qui in re publica princeps vellet esse,
cuius fructibus exercitum alere non posset. delectant
etiam magnifici adparatus vitaeque cultus cum elegantia
et copia, quibus rebus effectum est ut infinita pecuniae
cupiditas esset. nec vero rei familiaris amplificatio ne-

mini nocens vituperanda est, sed fugienda semper iniuria est. maxume autem adducuntur plerique, ut eos iusti- 26
tiae capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt. quod enim est apud Ennium,

nulla sancta societas
nec fides regni est,

id latius patet; nam quicquid eius modi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit servare 'sanctam societatem.' declaravit id modo temeritas C. Caesaris, qui omnia iura divina et humana pervertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. est autem in hoc genere molestum, quod in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque exsistunt honoris, imperii, potentiae, gloriae cupiditates; quo magis cavendum est ne quid in eo genere peccetur. sed in omni iniustitia 27
permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat iniuria; leviora enim sunt ea, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur. ac de inferenda quidem iniuria satis dictum est.

Praetermittendae autem defensionis deserendique 9 28
officii plures solent esse causae; nam aut inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt aut etiam neglegentia, pigritia, inertia aut suis studiis quibusdam occupationibusve sic inpediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. itaque videndum est ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum, quod in veri investigatione versentur quodque ea, quae plerique vehementer expetant, de quibus inter se digladiari soleant, contemnant et pro nihilo putent, propterea iustos esse. [nam alterum iustitiae genus adsequuntur, inferenda ne cui noceant iniuria, in alterum incidunt; discendi enim studio inpediti quos tueri debent deserunt.] itaque eos ne ad rem publicam quidem accessuros putat nisi coactos. aequius autem erat id voluntate fieri; nam hoc ipsum ita iustum est, quod

29 recte fit, si est voluntarium. sunt etiam qui aut studio rei familiaris tuendae aut odio quodam hominum suum se negotium agere dicant nec facere cuiquam videantur iniuriam: qui altero genere iniustitiae vacant, in alterum incurrunt; deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operae, nihil facultatum.

Quoniam igitur duobus generibus iniustitiae propositis adiunximus causas utriusque generis easque res ante constituimus, quibus iustitia contineretur, facile quod cuiusque temporis officium sit poterimus, nisi nosmet
30 ipsos valde amabimus, iudicare. est enim difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes 'humani nihil a se alienum putat;' sed tamen, quia magis ea percipimus atque sentimus, quae nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa, quae ceteris, quae quasi longo intervallo interiecto videmus, aliter de illis ac de nobis iudicamus. quocirca bene praecipiunt qui vetant quicquam agere, quod dubites aequum sit an iniquum; aequitas enim lucet ipsa per se, dubitatio cogitationem significat iniuriae.

10 31 Sed incidunt saepe tempora, cum ea, quae maxime videntur digna esse iusto homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria, ut reddere depositum, facere promissum, quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare fit iustum. referri enim decet ad ea, quae posui principio, fundamenta iustitiae: primum ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur. ea cum tempore commutantur, commutatur officium et non semper
32 est idem. potest enim accidere promissum aliquod et conventum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit: nam si, ut in fabulis est, Neptunus quod Theseo promiserat non fecisset, Theseus Hippolyto filio non esset orbatus; ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit, quo impetrato in maximos luctus incidit. nec promissa igitur servanda sunt ea, quae sint iis, quibus promiseris, inutilia, nec, si plus tibi ea noceant quam illi prosint, cui promiseris, contra officium est maius anteponi minori, ut, si constitueris cuipiam te ad-

vocatum in rem praesentem esse venturum atque interim graviter aegrotare filius coeperit, non sit contra officium non facere quod dixeris, magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. iam illis promissis standum non esse quis non videt, quae coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit? quae quidem pleraque iure praetorio liberantur, non nulla legibus. exsistunt etiam saepe iniuriae calumnia qua- 33
dam et nimis callida[, sed malitiosa] iuris interpretatione; ex quo illud 'summum ius summa iniuria' factum est iam tritum sermone proverbium. quo in genere etiam in re publica multa peccantur, ut ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste indutiae factae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium indutiae. ne noster quidem probandus, si verum est Q. Fabium Labeonem seu quem alium — nihil enim habeo praeter auditum — arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ne cupide quid agerent, ne adpetenter, atque ut regredi quam progredi mallent. id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. itaque illorum finis sic, ut ipsi dixerant, terminavit; in medio relictum quod erat populo Romano adiudicavit. decipere hoc quidem est, non iudicare; quocirca in omni est re fugienda talis sollertia.

Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos ser- 11 34
vanda, a quibus iniuriam acceperis: est enim ulciscendi et puniendi modus, atque haud scio an satis sit eum, qui lacessierit, iniuriae suae paenitere, ut et ipse ne quid tale posthac et ceteri sint ad iniuriam tardiores. atque in re publica maxime conservanda sunt iura belli: nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. qua re suscipienda quidem bella 35
sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur, parta autem victoria conservandi ii, qui non crudeles in bello, non inmanes fuerunt, ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem

etiam acceperunt, at Karthaginem et Numantiam funditus sustulerunt: nollem Corinthum, sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxume, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. mea quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum: in quo si mihi esset obtemperatum, si non optumam, at aliquam rem publicam, quae nunc nulla est, haberemus. et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui armis positis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipiendi; in quo tanto opere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more
36 maiorum. ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est; ex quo intellegi potest nullum bellum esse iustum nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante sit et indictum. [Popilius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. cum autem Popilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum patitur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. adeo summa erat observatio in bello
37 movendo.] Marci quidem Catonis senis est epistula ad M. filium, in qua scribit se audisse eum missum factum esse a consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset: monet igitur ut caveat ne proelium ineat; negat enim ius esse qui miles non sit cum hoste pugnare.
12 equidem etiam illud animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam; hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus: indicant duodecim tabulae AVT STATVS DIES CVM HOSTE, itemque ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? quamquam id nomen durius effecit iam vetustas; a peregrino enim recessit et proprie
38 in eo, qui arma contra ferret, remansit. cum vero de

imperio decertatur belloque quaeritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paulo ante iustas causas esse bellorum. sed ea bella, quibus imperii proposita gloria est, minus acerbe gerenda sunt; ut enim cum civi aliter contendimus, si est inimicus, aliter, si competitor — cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae —, sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret, cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iustiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara:

nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:
non cauponantes bellum, sed belligerantes,
ferro, non auro vitam cernamus utrique.
vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors,
virtute experiamur. et hoc simul accipe dictum:
quorum virtuti belli fortuna pepercit,
eorundem libertati me parcere certum est:
dono ducite doque volentibus cum magnis dis.

regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia.

Atque etiam, si quid singuli temporibus adducti 13 39
hosti promiserunt, est in eo ipso fides conservanda, ut primo Punico bello Regulus captus a Poenis, cum de captivis commutandis Romam missus esset iurassetque se rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit, deinde, cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit quam
fidem hosti datam fallere. [secundo autem Punico bello 40
post Cannensem pugnam quos decem Hannibal Romam astrictos misit iure iurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrassent, eos omnis censores, quoad quisque eorum vixit, quia peierassent, in aerariis reliquerunt, nec minus illum, qui iuris iurandi fraude culpam invenerat: cum enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paulo post, quod se oblitum nescio quid diceret; deinde egressus e castris iure iurando se solutum putabat, et erat verbis, re non erat. semper autem in fide, quid senseris, non, quid dixeris, cogitan-

dum. maximum autem exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum, cum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum et eum necaturum: senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedidit. ita ne hostis quidem et potentis et bellum ultro
41 inferentis interitum cum scelere adprobavit.] ac de bellicis quidem officiis satis dictum est. meminerimus autem etiam adversus infimos iustitiam esse servandam; est autem infima condicio et fortuna servorum, quibus non male praecipiunt qui ita iubent uti ut mercennariis, operam exigendam, iusta praebenda. cum autem duobus modis, id est aut vi aut fraude, fiat iniuria, fraus quasi volpeculae, vis leonis videtur: utrumque homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore. totius autem iniustitiae nulla capitalior quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. de iustitia satis dictum.

14
42 Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia ac de liberalitate dicatur, qua quidem nihil est naturae hominis accommodatius, sed habet multas cautiones: videndum est enim primum, ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris, deinde, ne maior benignitas sit quam facultates, tum, ut pro dignitate cuique tribuatur; id enim est iustitiae fundamentum, ad quam haec referenda sunt omnia. nam et qui gratificantur cuipiam quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici neque liberales, sed perniciosi adsentatores iudicandi sunt, et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ut si in suam rem
43 aliena convertant. sunt autem multi et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis quod aliis largiantur, iique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione: id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini. qua re L. Sullae, C. Caesaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri; nihil est enim
44 liberale, quod non idem iustum. alter locus erat cautionis, ne benignitas maior esset quam facultates, quod qui

benigniores volunt esse quam res patitur primum in eo peccant, quod iniuriosi sunt in proximos; quas enim copias his et suppeditari aequius est et relinqui, eas transferunt ad alienos. inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi et auferendi per iniuriam, ut ad largiendum suppetant copiae. videre etiam licet plerosque non tam natura liberalis quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis quam a voluntate videantur: talis autem simulatio vanitati est coniunctior quam aut
liberalitati aut honestati. tertium est propositum, ut in 45
beneficentia dilectus esset dignitatis; in quo et mores eius erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, et animus erga nos et communitas ac societas vitae et ad nostras utilitates officia ante conlata: quae ut concurrant omnia, optabile est; si minus, plures causae maioresque ponderis plus habebunt.

Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus 15 46
planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur si sunt simulacra virtutis, etiam hoc intellegendum puto, neminem omnino esse neglegendum, in quo aliqua significatio virtutis adpareat, colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa, de qua multa iam dicta sunt, iustitia. nam fortis animus et magnus in homine non perfecto nec sapienti ferventior plerumque est: illae virtutes bonum virum
videntur potius attingere. atque haec in moribus. de 47
benevolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligamur, sed benevolentiam non adulescentulorum more ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia iudicemus. sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia, maior quaedam cura adhibenda est; nullum enim officium referenda
gratia magis necessarium est. quod si ea, quae utenda 48
acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertilis, qui multo plus efferunt quam acceperunt? etenim si in eos, quos speramus nobis

profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos
esse debemus, qui iam profuerunt? nam cum duo genera
liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi,
demus necne in nostra potestate est, non reddere viro
49 bono non licet, modo id facere possit sine iniuria. ac-
ceptorum autem beneficiorum sunt dilectus habendi, nec
dubium quin maximo cuique plurimum debeatur. in
quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, bene-
volentia fecerit, ponderandum est: multi enim faciunt
multa temeritate quadam sine iudicio, vel morbo in
omnis vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi
incitati; quae beneficia aeque magna non sunt habenda
atque ea, quae iudicio, considerate constanterque delata
sunt. sed in conlocando beneficio et in referenda gratia,
si cetera paria sunt, hoc maxume officii est, ut quisque
maxume opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod
contra fit a plerisque; a quo enim plurimum sperant,
etiam si ille iis non eget, tamen ei potissimum inser-
16 50 viunt. optime autem societas hominum coniunctioque
servabitur, si, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum
benignitatis plurimum conferetur. sed, quae naturae
principia sint communitatis et societatis humanae, repe-
tendum videtur altius: est enim primum, quod cernitur
in universi generis humani societate; eius autem vincu-
lum est ratio et oratio, quae docendo, discendo, commu-
nicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homi-
nes coniungitque naturali quadam societate, neque ulla
re longius absumus a natura ferarum, in quibus inesse
fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus,
iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus; sunt enim
51 rationis et orationis expertes. ac latissime quidem patens
hominibus inter ipsos, omnibus inter omnis societas haec
est; in qua omnium rerum, quas ad communem hominum
usum natura genuit, est servanda communitas, ut, quae
discripta sunt legibus et iure civili, haec ita teneantur,
ut est constitutum legibus ipsis, cetera sic observentur,
ut in Graecorum proverbio est, 'amicorum esse commu-
nia omnia.' omnium autem communia hominum videntur
ea, quae sunt generis eius, quod ab Ennio positum in
una re transferri in permultas potest:

homo, qui erranti comiter monstrat viam,
quasi lumen de suo lumine accendat facit:
nihilo minus ipsi lucet, cum illi accenderit.

una ex re satis praecipit ut, quicquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur vel ignoto. ex quo sunt 52 illa communia, non prohibere aqua profluente, pati ab igne ignem capere, si qui velit, consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta. qua re et his utendum est et semper aliquid ad communem utilitatem adferendum. sed quoniam copiae parvae singulorum sunt, eorum autem, qui his egeant, infinita est multitudo, volgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem 'nihilo minus ipsi lucet', ut facultas sit, qua in nostros simus liberales.

Gradus autem plures sunt societatis hominum; ut 17 53 enim ab illa infinita discedatur, propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxume homines coniunguntur. interius etiam est eiusdem esse civitatis; multa enim sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines praeterea et familiaritates multisque cum multis res rationesque contractae. artior vero conligatio est societatis propinquorum; ab illa enim inmensa societate humani generis in exiguum angustumque concluditur. nam cum sit hoc natura com- 54 mune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia; id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae. sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum sobrinorumque, qui cum una domo iam capi non possint, in alias domos tamquam in colonias exeunt. sequuntur conubia et adfinitates, ex quibus etiam plures propinqui; quae propagatio et suboles origo est rerum publicarum. sanguinis autem coniunctio et benevolentia devincit homines et caritate; magnum est enim eadem habere monumenta 55 maiorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia. sed omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti; illud enim honestum, quod saepe dicimus, etiam si in alio cernimus, [tamen] nos movet atque illi,

56 in quo id inesse videtur, amicos facit. et quamquam omnis
virtus nos ad se adlicit facitque ut eos diligamus, in qui-
bus ipsa inesse videatur, tamen iustitia et liberalitas id
maxime efficit. nihil autem est amabilius nec copulatius
quam morum similitudo bonorum; in quibus enim eadem
studia sunt, eaedem voluntates, in iis fit ut aeque quisque
altero delectetur ac se ipso, efficiturque id, quod Pythago-
ras volt in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. magna etiam
illa communitas est, quae conficitur ex beneficiis ultro
et citro datis acceptis, quae et mutua et grata dum sunt,
57 inter quos ea sunt firma devinciuntur societate. sed cum
omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum
nulla est gravior, nulla carior quam ea, quae cum re
publica est uni cuique nostrum. cari sunt parentes, cari
liberi, propinqui, familiares, sed omnis omnium caritates
patria una conplexa est, pro qua quis bonus dubitet mor-
tem oppetere, si ei sit profuturus? quo est detestabilior
istorum inmanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam et
58 in ea funditus delenda occupati et sunt et fuerunt. sed si
contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum
tribuendum sit officii, principes sint patria et parentes,
quorum beneficiis maximis obligati sumus, proximi liberi
totaque domus, quae spectat in nos solos neque aliud
ullum potest habere perfugium, deinceps bene con-
venientes propinqui, quibuscum communis etiam fortuna
plerumque est. quam ob rem necessaria praesidia vitae
debentur iis maxime, quos ante dixi, vita autem victus-
que communis, consilia, sermones, cohortationes, conso-
lationes, interdum etiam obiurgationes, in amicitiis vigent
maxime[, estque ea iucundissima amicitia, quam simili-
tudo morum coniugavit].

18
59 Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit,
quid cuique maxime necesse sit et quid quisque vel sine
nobis aut possit consequi aut non possit: ita non idem
erunt necessitudinum gradus qui temporum, suntque
officia, quae aliis magis quam aliis debeantur, ut vici-
num citius adiuveris in fructibus percipiendis quam aut
fratrem aut familiarem, at, si lis in iudicio sit, propin-
quum potius et amicum quam vicinum defenderis. haec
igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio [et

consuetudo exercitatioque capienda], ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus et addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat, ex quo, quantum cuique debeatur, intellegas. sed, ut nec medici nec impera- 60
tores nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt, sic officii conservandi praecepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi, sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. atque ab iis rebus, quae sunt in iure societatis humanae, quem ad modum ducatur honestum, ex quo aptum est officium, satis fere diximus.

Intellegendum autem est, cum proposita sint genera 61
quattuor, e quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno elatoque humanasque res despiciente factum sit. itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest

vos enim, iuvenes, animum geritis muliebrem, illa virgo viri,

et si quid eius modi

Salmaci, da spolia sine sudore et sanguine.

contraque in laudibus, quae magno animo et fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quo modo quasi pleniore ore laudamus. hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris, *hinc no*ster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. et P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabiles alii, maximeque ipse populus Romanus animi magnitudine excellit. declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari. sed ea animi elatio, quae 19 62
cernitur in periculis et laboribus, si iustitia vacat pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est; non modo enim id virtutis non est, sed est potius inmanitatis omnem humanitatem repellentis. itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro aequitate. quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus; nihil honestum esse potest, quod iustitia vacat. praeclarum igitur illud Platonis: 63

'non' inquit 'solum scientia, quae est remota ab iustitia, calliditas potius quam sapientia est appellanda, verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi inpellitur, audaciae potius nomen habeat quam fortitudinis.' itaque viros fortis et magnanimos eosdem bonos et simplicis, veritatis amicos minimeque fallacis esse volumus: quae sunt ex media 64 laude iustitiae. sed illud odiosum est, quod in hac elatione et magnitudine animi facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur. ut enim apud Platonem est, omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi, sic, ut quisque animi magnitudine maxume excellit, ita maxume volt princeps omnium vel potius solus esse. difficile autem est, cum praestare omnibus concupieris, servare aequitatem, quae est iustitiae maxume propria; ex quo fit ut neque disceptatione vinci se nec ullo publico ac legitimo iure patiantur, exsistuntque in re publica plerumque largitores et factiosi, ut opes quam maxumas consequantur et sint vi potius superiores quam iustitia pares: sed quo difficilius, hoc praeclarius; nullum enim est tempus quod iustitia vacare 65 debeat. fortes igitur et magnanimi sunt habendi non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriam; vera autem et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxume natura sequitur, in factis positum, non in gloria iudicat principemque se esse mavolt quam videri: etenim qui ex errore inperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. facillime autem ad res iniustas inpellitur, ut quisque altissimo animo est, gloriae cupiditate: qui locus est sane lubricus, quod vix invenitur, qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

20 Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime
66 cernitur, quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum est nihil hominem nisi quod honestum decorumque sit aut admirari aut optare aut expetere oportere nullique neque homini neque perturbationi animi nec fortunae subcumbere; altera est res, ut, cum ita sis adfectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem et maxume utilis, sed [ut] vehementer arduas

plenasque laborum et periculorum cum vitae, tum mul-
tarum rerum, quae ad vitam pertinent. harum rerum 67
duarum splendor omnis, amplitudo, addo etiam utilita-
tem, in posteriore est, causa autem et ratio efficiens
magnos viros in priore; in eo est enim illud, quod excel-
lentis animos et humana contemnentis facit. id autem
ipsum cernitur in duobus, si et solum id, quod honestum
sit, bonum iudices et ab omni animi perturbatione liber
sis: nam et ea, quae eximia plerisque et praeclara viden-
tur, parva ducere eaque ratione stabili firmaque contem-
nere fortis animi magnique ducendum est, et ea, quae
videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita
fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a statu naturae
discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est
magnaeque constantiae. non est autem consentaneum, 68
qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec, qui
invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate: quam
ob rem et haec vitanda et pecuniae fugienda cupiditas;
nihil enim est tam angusti animi tamque parvi quam
amare divitias, nihil honestius magnificentiusque quam
pecuniam contemnere, si non habeas, si habeas, ad bene-
ficentiam liberalitatemque conferre. cavenda etiam est
gloriae cupiditas, ut supra dixi: eripit enim libertatem,
pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.
nec vero imperia expetenda ac potius aut non accipienda
interdum aut deponenda non numquam. vacandum au- 69
tem omni est animi perturbatione, cum cupiditate et
metu, tum etiam aegritudine et voluptate et iracundia,
ut tranquillitas animi et securitas adsit, quae adfert cum
constantiam tum etiam dignitatem. multi autem et sunt
et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expeten-
tes a negotiis publicis se removerint ad otiumque per-
fugerint; in his et nobilissimi philosophi longeque prin-
cipes et quidam homines severi et graves nec populi nec
principum mores ferre potuerunt vixeruntque non nulli
in agris delectati re sua familiari. his idem propositum 70
fuit quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent,
libertate uterentur, cuius proprium est sic vivere, ut
velis. qua re cum hoc commune sit potentiae cupido- 21
rum cum iis, quos dixi, otiosis, alteri se adipisci id posse

arbitrantur, si opes magnas habeant, alteri, si contenti sint et suo et parvo; in quo neutrorum omnino contemnenda sententia est, sed et facilior et tutior et minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum, fructuosior autem hominum generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rem publicam et ad magnas
71 res gerendas accommodaverunt. quapropter et iis forsitan concedendum sit rem publicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt, et iis, qui aut valetudinis inbecillitate aut aliqua graviore causa impediti a re publica recesserunt, cum eius administrandae potestatem aliis laudemque concederent; quibus autem talis nulla est causa, si despicere se dicant ea, quae plerique mirentur, imperia et magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. quorum iudicium in eo, quod gloriam contemnant et pro nihilo putent, difficile factu est non probare, sed videntur labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam; sunt enim qui in rebus contrariis parum sibi constent, voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores, gloriam neglegant, frangantur infamia, atque ea quidem non satis
72 constanter. sed iis, qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione adipiscendi magistratus et gerenda res publica est; nec enim aliter aut regi civitas aut declarari animi magnitudo potest. capessentibus autem rem publicam nihilo minus quam philosophis, haud scio an magis etiam, et magnificentia et despicientia adhibenda est rerum humanarum, quam saepe dico, et tranquillitas animi atque securitas, si quidem nec anxii futuri sunt et cum gravitate constan-
73 tiaque victuri. quae faciliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quae fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent, et quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt. quocirca non sine causa maiores motus animorum concitantur maiorque cura efficiendi rem publicam gerentibus quam quietis, quo magis iis et magnitudo est animi adhibenda et vacuitas ab angoribus. ad rem gerendam autem qui accedit caveat ne id modo consideret, quam illa res ho-

nesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem; in quo ipso considerandum est ne aut temere desperet propter ignaviam aut nimis confidat propter cupiditatem. in omnibus autem negotiis prius quam adgrediare adhibenda est praeparatio diligens.

Sed cum plerique arbitrentur res bellicas maiores 22 74
esse quam urbanas, minuenda est haec opinio. multi enim bella saepe quaesiverunt propter gloriae cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit eoque magis, si sunt ad rem militarem apti [et cupidi bellorum gerendorum]. vere autem si volumus iudicare, multae res exstiterunt urbanae maiores clarioresque quam bellicae. quamvis enim Themistocles iure 75
laudetur et sit eius nomen quam Solonis inlustrius citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas, non minus praeclarum hoc quam illud iudicandum est: illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati; hoc consilio leges Atheniensium, hoc maiorum instituta servantur. et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit, at ille vere *a* se adiutum Themistoclem; est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus. licet eadem 76
de Pausania Lysandroque dicere, quorum rebus gestis quamquam imperium *partum* Lacedaemoniis putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt; quin etiam ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores. mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario neque, cum versaremur in re publica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur; parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi. nec plus Africanus, singularis et vir et imperator, in exscindenda Numantia rei publicae profuit quam eodem tempore P. Nasica privatus, cum Ti. Gracchum interemit: quamquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione — attingit etiam bellicam, quoniam vi manuque confecta est —, sed tamen id ipsum est gestum consilio urbano sine exercitu. illud 77
autem optimum est, in quod invadi solere ab inprobis et invidis audio:

cedant arma togae, concedat laurea laudi.

ut enim alios omittam, nobis rem publicam gubernanti-
bus nonne togae arma cesserunt? neque enim periculum
in re publica fuit gravius umquam nec maius otium: ita
consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus auda-
cissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. quae
res igitur gesta umquam in bello tanta? qui triumphus
78 conferendus? licet enim mihi, Marce fili, apud te glo-
riari, ad quem et hereditas huius gloriae et factorum
imitatio pertinet. mihi quidem certe vir abundans belli-
cis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus hoc tri-
buit, ut diceret frustra se triumphum tertium deportatu-
rum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio ubi
triumpharet esset habiturus. sunt igitur domesticae
fortitudines non inferiores militaribus; in quibus plus
etiam quam in his operae studiique ponendum est.

23 79 Omnino illud honestum, quod ex animo excelso
magnificoque quaerimus, animi efficitur, non corporis
viribus; exercendum tamen corpus et ita adficiendum
est, ut oboedire consilio rationique possit in exsequendis
negotiis et in labore tolerando. honestum autem id, quod
exquirimus, totum est positum in animi cura et cogita-
tione; in quo non minorem utilitatem adferunt qui togati
rei publicae praesunt quam qui bellum gerunt. itaque
eorum consilio saepe aut non suscepta aut confecta bella
sunt, non numquam etiam inlata, ut M. Catonis bellum
tertium Punicum, in quo etiam mortui valuit auctoritas.
80 qua re expetenda quidem magis est decernendi ratio
quam decertandi fortitudo, sed cavendum ne id bellandi
magis fuga quam utilitatis ratione faciamus; bellum
autem ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita
videatur. fortis vero animi et constantis est non pertur-
bari rebus asperis nec tumultuantem de gradu deici, ut
dicitur, sed praesenti animo uti et consilio nec a ratione
81 discedere: quamquam hoc animi, illud etiam ingenii
magni est, praecipere cogitatione futura et aliquanto
ante constituere, quid accidere possit in utramque par-
tem et quid agendum sit, cum quid evenerit, nec com-
mittere ut aliquando dicendum sit 'non putaram.' haec
sunt opera magni animi et excelsi et prudentia consilio-

que fidentis; temere autem in acie versari et manu cum
hoste confligere inmane quiddam et beluarum simile est,
sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum
manu est et mors servituti turpitudinique anteponenda.
de evertendis autem diripiendisque urbibus valde consi- 24 82
derandum est ne quid temere, ne quid crudeliter; idque
est viri magni, rebus agitatis punire sontis, multitudinem
conservare, in omni fortuna recta atque honesta retinere.
ut enim sunt, quem ad modum supra dixi, qui urbanis
rebus bellicas anteponant, sic reperias multos, quibus
periculosa et calida consilia quietis et cogitatis splendi-
diora et maiora videantur. numquam omnino periculi 83
fuga committendum est ut inbelles timidique videamur,
sed fugiendum illud etiam, ne offeramus nos periculis
sine causa, quo esse nihil potest stultius. quapropter in
adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est,
qui leviter aegrotantis leniter curant, gravioribus autem
morbis periculosas curationes et ancipites adhibere co-
guntur. qua re in tranquillo tempestatem adversam op-
tare dementis est, subvenire autem tempestati quavis
ratione sapientis, eoque magis, si plus adipiscare re ex-
plicata boni quam addubitata mali. periculosae autem
rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt, partim
rei publicae; itemque alii de vita, alii de gloria et bene-
volentia civium in discrimen vocantur. promptiores igi-
tur debemus esse ad nostra pericula quam ad communia
dimicareque paratius de honore et gloria quam de cete-
ris commodis. inventi autem multi sunt, qui non modo 84
pecuniam, sed etiam vitam profundere pro patria parati
essent, idem gloriae iacturam ne minimam quidem facere
vellent, ne re publica quidem postulante, ut Callicrati-
das, qui, cum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponne-
siaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum
omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab
Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimican-
dum putabant; quibus ille respondit Lacedaemonios
classe illa amissa aliam parare posse, se fugere sine suo
dedecore non posse. atque haec quidem Lacedaemoniis
plaga mediocris, illa pestifera, qua, cum Cleombrotus
invidiam timens temere cum Epaminonda conflixisset,

Lacedaemoniorum opes conruerunt. quanto Q. Maximus melius! de quo Ennius:

unus homo nobis cunctando restituit rem;
noenum rumores ponebat ante salutem:
ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis; sunt enim qui quod sentiunt, etsi optimum est, tamen invidiae metu non audeant dicere.

25 85 Omnino qui rei publicae praefuturi sunt duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt ad eam referant obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant: ut enim tutela, sic procuratio rei publicae ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. qui autem parti civium consulunt, partem neglegunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo evenit ut alii populares, alii studiosi
86 optimi cuiusque videantur, pauci universorum. hinc apud Atheniensis magnae discordiae, in nostra re publica non solum seditiones, sed etiam pestifera bella civilia: quae gravis et fortis civis et in re publica dignus principatu fugiet atque oderit tradetque se totum rei publicae neque opes aut potentiam consectabitur totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. nec vero criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit omninoque ita iustitiae honestatique adhaerescet, ut, dum ea conservet, quamvis graviter offendat mortemque oppetat potius quam deserat illa, quae dixi.
87 miserrima omnino est ambitio honorumque contentio, de qua praeclare apud eundem est Platonem, similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rem publicam administraret, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret. idemque praecipit ut eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant, non eos, qui suo iudicio tueri rem publicam velint, qualis fuit inter P. Africanum et Q. Metellum sine acerbitate
88 dissensio. nec vero audiendi qui graviter inimicis ira-

scendum putabunt idque magnanimi et fortis viri esse
censebunt; nihil enim laudabilius, nihil magno et prae-
claro viro dignius placabilitate atque clementia. in libe-
ris vero populis et in iuris aequabilitate exercenda etiam
est facilitas et altitudo animi quae dicitur, ne, si irasca-
mur aut intempestive accedentibus aut inpudenter ro-
gantibus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus.
et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia,
ut adhibeatur rei publicae causa severitas, sine qua ad-
ministrari civitas non potest. omnis autem et animad-
versio et castigatio contumelia vacare debet neque ad
eius, qui punitur aliquem aut verbis castigat, sed ad rei
publicae utilitatem referri. cavendum est etiam ne maior 89
poena quam culpa sit et ne isdem de causis alii plectan-
tur, alii ne appellentur quidem. prohibenda autem
maxime est ira in puniendo; numquam enim iratus qui
accedet ad poenam mediocritatem illam tenebit, quae est
inter nimium et parum, quae placet Peripateticis et recte
placet, modo ne laudarent iracundiam et dicerent utiliter
a natura datam: illa vero omnibus in rebus repudianda
est optandumque ut ii, qui praesunt rei publicae, legum
similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed
aequitate ducuntur.

Atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem 26 90
nostram fluentibus [superbiam] magno opere fastidium
arrogantiamque fugiamus: nam ut adversas res, sic se-
cundas inmoderate ferre levitatis est praeclaraque est
aequabilitas in omni vita et idem semper voltus eadem-
que frons, ut de Socrate itemque de C. Laelio accepi-
mus. Philippum quidem Macedonum regem rebus gestis
et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate video
superiorem fuisse; itaque alter semper magnus, alter
saepe turpissimus, ut recte praecipere videantur qui mo-
nent ut, quanto superiores simus, tanto nos geramus
summissius. Panaetius quidem Africanum auditorem et
familiarem suum solitum ait dicere, ut equos propter
crebras contentiones proeliorum ferocitate exsultantis do-
mitoribus tradere soleant, ut iis facilioribus possint uti,
sic homines secundis rebus ecfrenatos sibique praefiden-
tis tamquam in gyrum rationis et doctrinae duci opor-

tere, ut perspicerent rerum humanarum inbecillitatem
91 varietatemque fortunae. atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum iisque maior etiam quam ante tribuenda auctoritas; isdemque temporibus cavendum est ne adsentatoribus patefaciamus auris neve adulari nos sinamus, in quo falli facile est: talis enim nos esse putamus, ut iure laudemur; ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter inridentur et in maximis ver-
92 santur erroribus. sed haec quidem hactenus. illud autem sic est iudicandum, maximas geri res et maximi animi ab iis, qui res publicas regant, quod earum administratio latissime pateat ad plurimosque pertineat, esse autem magni animi et fuisse multos etiam in vita otiosa, qui aut investigarent aut conarentur magna quaedam seseque suarum rerum finibus continerent aut interiecti inter philosophos et eos, qui rem publicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes neque excludentes ab eius usu suos potiusque et amicis inpertientes et rei publicae, si quando usus esset. quae primum bene parta sit nullo neque turpi quaestu neque odioso, deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia, tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebeat, nec lubidini potius luxuriaeque quam liberalitati et beneficentiae pareat. haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere atque etiam simpliciter, fideliter, † vere hominum amice.

27
93 Sequitur ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. hoc loco continetur id, quod dici Latine decorum potest; Graece enim *πρέπον* dicitur: huius vis ea est, ut ab honesto non
94 queat separari. nam et quod decet honestum est et quod honestum est decet: qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius intellegi quam explanari potest. quicquid est enim quod deceat, id tum adparet, cum antegressa est honestas. itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam

in tribus superioribus quid deceat adparet: nam et ratione uti atque oratione prudenter et agere quod agas considerate omnique in re, quid sit veri, videre et tueri decet, contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet quam delirare et mente esse captum; et iusta omnia decora sunt, iniusta contra ut turpia sic indecora. similis est ratio fortitudinis: quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro et decorum videtur, quod
contra, id ut turpe sic indecorum. qua re pertinet qui- 95
dem ad omnem honestatem hoc, quod dico, decorum et ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu; est enim quiddam — idque intellegitur in omni virtute — quod deceat, quod cogitatione magis a virtute potest quam re separari. ut venustas et pulchritudo corporis secerni non potest a valetudine, sic hoc, de quo loquimur, decorum totum illud quidem est cum virtute confusum, sed mente et cogitatione distin-
guitur. est autem eius descriptio duplex; nam et gene- 96
rale quoddam decorum intellegimus, quod in omni honestate versatur, et aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partis honestatis. atque illud superius sic fere definiri solet, decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat; quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, ut id decorum velint esse, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia adpareat cum specie quadam liberali.
haec ita intellegi possumus existimare ex eo decoro, 28 97
quod poëtae sequuntur, de quo alio loco plura dici solent. sed tum servare illud poëtas, quod deceat, dicimus, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur, ut, si Aeacus aut Minos diceret 'oderint, dum metuant,' aut

natis sepulcro ipse est parens,

indecorum videretur, quod eos fuisse iustos accepimus, at Atreo dicente plausus excitantur; est enim digna persona oratio. sed poëtae, quid quemque deceat, ex persona iudicabunt; nobis autem personam inposuit ipsa natura magna cum excellentia praestantiaque animan-

98 tium reliquarum. quocirca poëtae in magna varietate
personarum etiam vitiosis quid conveniat et quid deceat
videbunt; nobis autem cum a natura constantiae, mode-
rationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint
cumque eadem natura doceat non neglegere, quem ad
modum nos adversus homines geramus, efficitur ut et
illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum
quam late fusum sit adpareat et hoc, quod spectatur in
uno quoque genere virtutis. ut enim pulchritudo corpo-
ris apta conpositione membrorum movet oculos et de-
lectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam
lepore consentiunt, sic hoc decorum, quod elucet in vita,
movet adprobationem eorum, quibuscum vivitur, ordine
et constantia et moderatione dictorum omnium atque
99 factorum. adhibenda est igitur quaedam reverentia [ad-
versus homines] et optimi cuiusque et reliquorum. nam
neglegere, quid de se quisque sentiat, non solum arro-
gantis est, sed etiam omnino dissoluti. est autem quod
differat in hominum ratione habenda inter iustitiam et
verecundiam: iustitiae partes sunt non violare homines,
verecundiae non offendere; in quo maxume vis perspici-
tur decori. his igitur expositis quale sit id, quod decere
dicimus, intellectum puto.

100 Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum
habet viam, quae deducit ad convenientiam conservatio-
nemque naturae, quam si sequemur ducem, numquam
aberrabimus sequemurque et id, quod acutum et perspi-
cax natura est, et id, quod ad hominum consociationem
accommodatum, et id, quod vehemens atque forte. sed
maxuma vis decori in hac inest parte, de qua disputa-
mus; neque enim solum corporis, qui ad naturam apti
sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui
101 item ad naturam accommodati sunt. duplex est enim
vis animorum atque natura: una pars in adpetitu posita
est, quae est *ὁρμή* Graece, quae hominem huc et illuc
rapit, altera in ratione, quae docet et explanat, quid
faciendum fugiendumque sit. [ita fit, ut ratio praesit,
29 adpetitus obtemperet. omnis autem actio vacare debet
temeritate et neglegentia nec vero agere quicquam, cuius
non possit causam probabilem reddere; haec est enim

fere descriptio officii.] efficiendum autem est ut adpetitus rationi oboediant eamque neque praecurrant nec propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquilli atque omni animi perturbatione careant; ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. nam qui adpetitus longius evagantur et tamquam exsultantes sive cupiendo sive fugiendo non satis a ratione retinentur, ii sine dubio finem et modum transeunt; relinquunt enim et abiciunt oboedientiam nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae: a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. licet ora ipsa cernere iratorum aut eorum, qui aut lubidine aliqua aut metu commoti sunt aut voluptate nimia gestiunt; quorum omnium voltus, voces, motus statusque mutantur. ex quibus 103 illud intellegitur, ut ad officii formam revertamur, adpetitus omnis contrahendos sedandosque esse excitandamque animadversionem et diligentiam, ut ne quid temere ac fortuito, inconsiderate neglegenterque agamus. neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur: ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque maiora. ludo autem et ioco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tum, cum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. ipsumque genus iocandi non profusum nec inmodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestatis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat. duplex omnino 104 est iocandi genus: unum inliberale, petulans, flagitiosum, obscenum, alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaque multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone conlecta sunt, quae vocant *ἀποφθέγματα*. facilis igitur est distinctio ingenui et inliberalis ioci: alter est, si *in* tempore fit aut si remisso animo, *magno* homine dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas. ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus elatique voluptate in

aliquam turpitudinem delabamur. suppeditant autem et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi.

30 105 Sed pertinet ad omnem officii quaestionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beluis antecedat: illae nihil sentiunt nisi voluptatem ad eamque feruntur omni impetu, hominis autem mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid aut anquirit aut agit videndique et audiendi delectatione ducitur. quin etiam, si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere — sunt enim quidam homines non re, sed nomine —, sed si quis est paulo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat et dissimulat adpetitum voluptatis propter verecundiam.
106 ex quo intellegitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia eamque contemni et reici oportere, sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse eius fruendae modum. itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referatur et ad viris, non ad voluptatem. atque etiam, si considerare volemus, quae sit in natura excellentia et dignitas, intellegemus, quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere, quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie.

107 Intellegendum etiam est duabus quasi nos a natura indutos esse personis, quarum una communis est ex eo, quod omnes participes sumus rationis praestantiaeque eius, qua antecellimus bestiis, a qua omne honestum decorumque trahitur et ex qua ratio inveniendi officii exquiritur, altera autem, quae proprie singulis est tributa. ut enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt — alios videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere, itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem —, sic in animis exsistunt maio-
108 res etiam varietates. erat in L. Crasso, in L. Philippo multus lepos, maior etiam magisque de industria in C. Caesare, L. filio, at isdem temporibus in M. Scauro et in M. Druso adulescente singularis severitas, in C. Laelio multa hilaritas, in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior. de Graecis autem dulcem et face-

tum festivique sermonis atque in omni oratione simula-
torem, quem εἴρωνα Graeci nominarunt, Socratem
accepimus, contra Pythagoram et Periclem summam
auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate. callidum
Hannibalem ex Poenorum, ex nostris ducibus Q. Maxi-
mum accepimus, facile celare, tacere, dissimulare, insi-
diari, praeripere hostium consilia; in quo genere Graeci
Themistoclem et Pheraeum Iasonem ceteris anteponunt,
in primisque versutum et callidum factum Solonis, qui,
quo et tutior eius vita esset et plus aliquanto rei publi-
cae prodesset, furere se simulavit. sunt his alii multum 109
dispares, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil
de insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis
inimici, itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis
deserviant, dum quod velint consequantur, ut Sullam et
M. Crassum videbamus. quo in genere versutissimum
et patientissimum Lacedaemonium Lysandrum accepi-
mus, contraque Callicratidan, qui praefectus classis pro-
ximus post Lysandrum fuit. itemque in sermonibus
aliquem, quamvis praepotens sit, efficere ut unus de
multis esse videatur: quod in Catulo, et in patre et in
filio, idemque in Q. Mucio † Mancia vidimus. audivi
ex maioribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Na-
sica, contraque patrem eius, illum qui Ti. Gracchi cona-
tus perditos vindicavit, nullam comitatem habuisse sermo-
nis [ne Xenocratem quidem severissimum philosophorum]
ob eamque rem ipsam magnum et clarum fuisse. in-
numerabiles aliae dissimilitudines sunt naturae morum-
que, minime tamen vituperandorum.

Admodum autem tenenda sunt sua cuique, non vi- 31 110
tiosa, sed tamen propria, quo facilius decorum illud,
quod quaerimus, retineatur. sic enim est faciendum, ut
contra universam naturam nihil contendamus, ea tamen
conservata propriam nostram sequamur, ut, etiam si sint
alia graviora atque meliora, tamen nos studia nostra
nostrae naturae regula metiamur; neque enim attinet
naturae repugnare nec quicquam sequi, quod adsequi
non queas; ex quo magis emergit, quale sit decorum
illud, ideo quia nihil decet invita Minerva, ut aiunt, id
est adversante et repugnante natura. omnino si quic- 111

quam est decorum, nihil est profecto magis quam aequabilitas *cum* universae vitae, tum singularum actionum, quam conservare non possis, si aliorum naturam imitans omittas tuam. ut enim sermone eo debemus uti, qui innatus est nobis, ne, ut quidam Graeca verba inculcantes, iure optimo rideamur, sic in actiones omnemque
112 vitam nullam discrepantiam conferre debemus. atque haec differentia naturarum tantam habet vim, ut non numquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius [in eadem causa] non debeat. num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt? atqui ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita et mores fuerant faciliores: Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius quam tyranni
113 voltus aspiciendus fuit. quam multa passus est Ulixes in illo errore diuturno, cum et mulieribus, si Circe et Calypso mulieres appellandae sunt, inserviret et in omni sermone omnibus adfabilem esse se vellet! domi vero etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, veniret. at Aiax, quo animo traditur, milies oppetere mortem quam illa perpeti maluisset. quae contemplantis expendere oportebit, quid quisque habeat sui, eaque moderari nec velle experiri, quam se aliena deceant; id enim maxume quemque de-
114 cet, quod est cuiusque maxume. suum quisque igitur noscat ingenium acremque se et bonorum et vitiorum suorum iudicem praebeat, ne scaenici plus quam nos videantur habere prudentiae. illi enim non optumas, sed sibi accommodatissumas fabulas eligunt: qui voce freti sunt, Epigonos Medumque, qui gestu, Melanippam, Clytaemnestram, semper Rupilius, quem ego memini, Antiopam, non saepe Aesopus Aiacem. ergo histrio hoc videbit in scaena, non videbit sapiens vir in vita? ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus: sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea si non decore at

quam minime indecore facere possimus, nec tam est enitendum ut bona, quae nobis data non sint, sequamur quam ut vitia fugiamus.

Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia ad- 32 115
iungitur, quam casus aliqui aut tempus inponit; quarta etiam, quam nobismet ipsi iudicio nostro accommodamus. nam regna, imperia, nobilitas, honores, divitiae, opes eaque, quae sunt his contraria, in casu sita temporibus gubernantur; ipsi autem gerere quam personam velimus, a nostra voluntate proficiscitur. itaque se alii ad philosophiam, alii ad ius civile, alii ad eloquentiam adplicant, ipsarumque virtutum in alia alius mavolt ex-
cellere. quorum vero patres aut maiores aliqua gloria 116
praestiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere, ut Q. Mucius P. f. in iure civili, Pauli filius Africanus in re militari. quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam, ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam, quod idem fecit Timotheus, Cononis filius, qui, cum belli laude non inferior fuisset quam pater, ad eam laudem doctrinae et ingenii gloriam adiecit. fit autem interdum ut non nulli omissa imitatione maiorum suum quoddam institutum consequantur, maximeque in eo plerumque elaborant ii, qui magna sibi proponunt ob-
scuris orti maioribus. haec igitur omnia, cum quaerimus 117
quid deceat, conplecti animo et cogitatione debemus. in primis autem constituendum est, quos nos et qualis esse velimus et in quo genere vitae; quae deliberatio est omnium difficillima: ineunte enim adulescentia, cum est maxima inbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit; itaque ante inplicatur aliquo certo genere cursuque vi-
vendi quam potuit, quod optimum esset, iudicare. nam 118
quod Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset, hoc Herculi, 'Iovis satu edito,' potuit fortasse con-

tingere, nobis non item, qui imitamur quos cuique visum
est atque ad eorum studia institutaque inpellimur, ple-
rumque autem parentium praeceptis inbuti ad eorum
consuetudinem moremque deducimur; alii multitudinis
iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima vi-
dentur, ea maxime exoptant; non nulli tamen sive felici-
tate quadam sive bonitate naturae sine parentium disci-
33 119 plina rectam vitae secuti sunt viam. illud autem maxime
rarum genus est eorum, qui aut excellenti ingenii magni-
tudine aut praeclara eruditione atque doctrina aut utra-
que re ornati spatium etiam deliberandi habuerunt, quem
potissimum vitae cursum sequi vellent; in qua delibera-
tione ad suam cuiusque naturam consilium est omne
revocandum: nam cum in omnibus, quae aguntur, ex
eo, quo modo quisque natus est, ut supra dictum est, quid
deceat exquirimus, tum in tota vita constituenda multo
est ei rei cura maior adhibenda, ut constare in perpetui-
tate vitae possimus nobismet ipsis nec in ullo officio
120 claudicare. ad hanc autem rationem quoniam maximam
vim natura habet, fortuna proximam, utriusque omnino
habenda ratio est in deligendo genere vitae, sed naturae
magis; multo enim et firmior est et constantior, ut for-
tuna non numquam tamquam ipsa mortalis cum inmor-
tali natura pugnare videatur. qui igitur ad naturae
suae non vitiosae genus consilium vivendi omne contu-
lerit, is constantiam teneat — id enim maxime decet —,
nisi forte se intellexerit errasse in deligendo genere vitae.
quod si acciderit — potest autem accidere —, facienda
morum institutorumque mutatio est. eam mutationem
si tempora adiuvabunt, facilius commodiusque faciemus;
sin minus, sensim erit pedetemptimque facienda, ut
amicitias, quae minus delectent et minus probentur,
magis decere censent sapientes sensim diluere quam
121 repente praecidere. commutato autem genere vitae
omni ratione curandum est ut id bono consilio fecisse
videamur. sed, quoniam paulo ante dictum est imitan-
dos esse maiores, primum illud exceptum sit, ne vitia
sint imitanda, deinde, si natura non feret, ut quaedam
imitari possit, ut superioris filius Africani, qui hunc
Paulo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis

non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui: si igitur non poterit sive causas defensitare sive populum contionibus tenere sive bella gerere, illa tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. optuma autem hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria virtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas [et vitium] iudicandum est.

Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus 34 122
tribuuntur aliaque sunt iuvenum, alia seniorum, aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. est igitur adulescentis maiores natu vereri exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur; ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. maxume autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent caveant intemperantiam, meminerint verecundiae; quod erit facilius, si *ne* in eius modi quidem rebus maiores natu nolent
interesse. senibus autem labores corporis minuendi, 123
exercitationes animi etiam augendae videntur, danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rem publicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent. nihil autem magis cavendum est senectuti quam ne languori se desidiaeque dedat; luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est; sin autem etiam libidinum intemperantia accessit, duplex malum est, quod et ipsa senectus dedecus concipit et facit adulescentium in-
pudentiorem intemperantiam. ac ne illud quidem alienum 124
est, de magistratuum, de privatorum, [de civium,] de peregrinorum officiis dicere. est igitur proprium munus magistratus intellegere se gerere personam civitatis debereque eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura discribere, ea fidei suae commissa meminisse. privatum autem oportet aequo et pari cum civibus iure vivere, neque summissum et abiectum neque se ecferentem, tum in re publica ea velle, quae tranquilla et ho-

nesta sint; talem enim solemus et sentire bonum civem
125 et dicere. peregrini autem atque incolae officium est nihil praeter suum negotium agere, nihil de alio anquirere minimeque esse in aliena re publica curiosum. ita fere officia reperientur, cum quaeretur, quid deceat et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus. nihil est autem quod tam deceat quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam.

35 Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, dictis,
126 in corporis denique motu et statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, difficilibus ad eloquendum, sed satis erit intellegi, in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuscum apud quosque vivamus, his quoque de rebus pauca dicantur. principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu, quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae aspectum essent deformem habiturae atque turpem, eas contexit
127 atque abdidit. hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia: quae enim natura occultavit, eadem omnes qui sana mente sunt removent ab oculis ipsique necessitati dant operam ut quam occultissime pareant, quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partis neque earum usus suis nominibus appellant, quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscenum est. itaque nec actio rerum illarum aperta petulantia vacat nec orationis obscenitas.
128 nec vero audiendi sunt Cynici aut si qui fuerunt Stoici paene cynici, qui reprehendunt et inrident, quod ea, quae turpia non sint, nominibus flagitiosa dicamus, illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis. latrocinari, fraudare, adulterare re turpe est, sed dicitur non obscene; liberis dare operam re honestum est, nomine obscenum; pluraque in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam disputantur. nos autem naturam sequamur et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque adprobatione, fugiamus: status incessus, sessio accubitio, voltus oculi, manuum motus teneant illud de-

eorum. quibus in rebus duo maxime sunt fugienda: ne 129 quid effeminatum aut molle et ne quid durum aut rusticum sit. nec vero histrionibus oratoribusque concedendum est ut iis haec apta sint, nobis dissoluta. scaenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, ut in scaenam sine subligaculo prodeat nemo; verentur enim ne, si quo casu evenerit ut corporis partes quaedam aperiantur, aspiciantur non decore. nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur. retinenda igitur est huius generis verecundia, praesertim natura ipsa magistra et duce. cum autem pul- 36 130
chritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas est, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. ergo et a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, et huic simile vitium in gestu motuque caveatur; nam et palaestrici motus sunt saepe odiosiores et histrionum non nulli gestus ineptiis non vacant, et in utroque genere quae sunt recta et simplicia laudantur. formae autem dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis. adhibenda praeterea munditia est non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam neglegentiam. eadem ratio est habenda vestitus, in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. cavendum autem est 131
ne aut tarditatibus utamur *in* ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quae cum fiunt, anhelitus moventur, voltus mutantur, ora torquentur; ex quibus magna significatio fit non adesse constantiam. sed multo etiam magis elaborandum est ne animi motus a natura recedant: quod adsequemur, si cavebimus ne in perturbationes atque exanimationes incidamus et si attentos animos ad decoris conservationem tenebimus. motus autem animorum duplices sunt: alteri cogitationis, 132
alteri adpetitus. cogitatio in vero exquirendo maxume versatur, adpetitus inpellit ad agendum. curandum est igitur ut cogitatione ad res quam optumas utamur, adpetitum rationi oboedientem praebeamus.

Et quoniam magna vis orationis est eaque duplex, 37
altera contentionis, altera sermonis, contentio discepta-

tionibus tribuatur iudiciorum, contionum, senatus, sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur, sequatur etiam convivia. contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis: quamquam haud scio an possint haec quoque esse. sed discentium studiis inveniuntur magistri, huic autem qui studeant sunt nulli, rhetorum turba referta omnia: quamquam quae verborum sententiarumque praecepta sunt, eadem ad
133 sermonem pertinebunt. sed cum orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis, utrumque omnino a natura petundum est, verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium et leniter. nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti litterarum: quamquam erant litterati, sed et alii; ii autem optime uti lingua Latina putabantur. sonus erat dulcis, litterae neque expressae neque oppressae, ne aut obscurum esset aut putidum, sine contentione vox nec languens nec canora. uberior oratio L. Crassi nec minus faceta, sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. sale vero et facetiis Caesar, Catuli patris frater, vicit omnis, ut in illo ipso forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret. in omnibus igitur his elaborandum est,
134 si in omni re quid deceat exquirimus. sit ergo hic sermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis minimeque pertinax, insit in eo lepos; nec vero, tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios, sed cum reliquis in rebus tum in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet. ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat, si iocosis, leporem. in primisque provideat ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus; quod maxume tum solet evenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa aut per ridi-
135 culum aut severe, maledice contumelioseque dicitur. habentur autem plerumque sermones aut de domesticis negotiis aut de re publica aut de artium studiis atque doctrina: danda igitur opera est ut, etiam si aberrare ad alia coeperit, ad haec revocetur oratio, sed utcumque aderunt; neque enim omnes isdem de rebus nec omni tempore nec similiter delectamur. animadvertendum est etiam, quate-

nus sermo delectationem habeat, et, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. sed quo modo in omni vita 38 136
rectissime praecipitur ut perturbationes fugiamus, id est motus animi nimios rationi non obtemperantis, sic eius modi motibus sermo debet vacare, ne aut ira exsistat aut cupiditas aliqua aut pigritia aut ignavia aut tale aliquid adpareat, maximeque curandum est ut eos, quibuscum sermonem conferemus, et vereri et diligere videamur. obiurgationes etiam non numquam incidunt necessariae, in quibus utendum est fortasse et vocis contentione maiore et verborum gravitate acriore; id agendum etiam, ut ea facere videamur irati. sed ut ad urendum et secandum, sic ad hoc genus castigandi raro invitique veniemus, nec umquam nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina: sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. mag- 137
nam autem partem clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adiuncta, ut severitas adhibeatur et contumelia repellatur, atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est ipsius [id] causa, qui obiurgetur, esse susceptum. rectum est autem etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiam si nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere; quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt neque iis, qui adsunt, probari. deforme etiam est de se ipsum praedicare, falsa praesertim, et cum inrisione audientium imitari militem gloriosum.

Et quoniam omnia persequimur, volumus quidem 39 138
certe, dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse, cuius finis est usus, ad quem accommodanda est aedificandi descriptio et tamen adhibenda commoditatis dignitatisque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum; quae cum volgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur: hanc Scaurus demolitus accessionem adiunxit aedibus. itaque ille in suam domum consulatum primus attulit: hic, summi et clarissimi viri filius,

in domum multiplicatam non repulsam solum rettulit,
139 sed ignominiam etiam et calamitatem. ornanda enim
est dignitas domo, non ex domo tota quaerenda, nec
domo dominus, sed domino domus honestanda est, et,
ut in ceteris habenda ratio non sua solum, sed etiam
aliorum, sic in domo clari hominis, in quam et hospites
multi recipiendi et admittenda hominum cuiusque modi
multitudo, adhibenda cura est laxitatis: aliter ampla
domus dedecori saepe domino fit, si est in ea solitudo,
et maxime, si aliquando alio domino solita est frequen-
tari. odiosum est enim, cum a praetereuntibus dicitur:

— — o domus antiqua, heu quam dispari
dominare domino!

110 quod quidem his temporibus in multis licet dicere. cavendum autem est, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. studiose enim plerique praesertim in hanc partem facta principum imitantur, ut L. Luculli, summi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam [imitati]! quarum quidem certe est adhibendus modus ad mediocritatem revocandus; eademque mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est. sed haec hactenus.

111 In omni autem actione suscipienda tria sunt tenenda: primum ut adpetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conservanda accommodatius; deinde ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus, ut neve maior neve minor cura et opera suscipiatur quam causa postulet; tertium est ut caveamus ut ea, quae pertinent ad liberalem speciem et dignitatem, moderata sint. modus autem est optimus decus ipsum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. horum tamen trium praestantissimum est adpetitum obtemperare rationi.

40 142 Deinceps de ordine rerum et de opportunitate temporum dicendum est. haec autem scientia continentur ea, quam Graeci εὐταξίαν nominant, non hanc, quam interpretamur modestiam, quo in verbo modus inest, sed illa est εὐταξία, in qua intellegitur ordinis conservatio.

itaque, ut eandem nos modestiam appellemus, sic defini-
tur a Stoicis, ut modestia sit scientia rerum earum, quae
agentur aut dicentur, loco suo conlocandarum. ita vide-
tur eadem vis ordinis et conlocationis fore; nam et ordi-
nem sic definiunt, conpositionem rerum aptis et accom-
modatis locis. locum autem actionis opportunitatem
temporis esse dicunt; tempus autem actionis opportunum
Graece εὐκαιρία, Latine appellatur occasio. sic fit ut
modestia haec, quam ita interpretamur, ut dixi, scientia
sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.
sed potest eadem esse prudentiae definitio, de qua prin- 143
cipio diximus: hoc autem loco de moderatione et tempe-
rantia et harum similibus virtutibus quaerimus. itaque
quae erant prudentiae propria suo loco dicta sunt: quae
autem harum virtutum, de quibus iam diu loquimur,
quae pertinent ad verecundiam et ad eorum adprobatio-
nem, quibuscum vivimus, nunc dicenda sunt. talis est 144
igitur ordo actionum adhibendus, ut, quem ad modum
in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se
et convenientia; turpe enim valdeque vitiosum in re
severa convivio digna aut delicatum aliquem inferre
sermonem. bene Pericles, cum haberet collegam in
praetura Sophoclem poëtam iique de communi officio
convenissent et casu formosus puer praeteriret dixisset-
que Sophocles 'o puerum pulchrum, Pericle!' 'at enim
praetorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam
oculos abstinentis habere.' atque hoc idem Sophocles si
in athletarum probatione dixisset, iusta reprehensione
caruisset: tanta vis est et loci et temporis. ut si qui,
cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione
secum ipse meditetur aut si quid aliud attentius cogitet,
non reprehendatur, at hoc idem si in convivio faciat, in-
humanus videatur inscitia temporis. sed ea, quae mul- 145
tum ab humanitate discrepant, ut si qui in foro cantet
aut si qua est alia magna perversitas, facile adparent
nec magno opere admonitionem et praecepta desiderant;
quae autem parva videntur esse delicta neque a multis
intellegi possunt, ab iis est diligentius declinandum. ut
in fidibus aut tibiis, quamvis paulum discrepent, tamen
id a sciente animadverti solet, sic videndum est in vita

ne forte quid discrepet, vel multo etiam magis, quo
maior et melior actionum quam sonorum concentus est.
41 146 itaque, ut in fidibus musicorum aures vel minima sen-
tiunt, sic nos, si acres ac diligentes esse volumus * ani-
madversoresque vitiorum, magna saepe intellegemus ex
parvis. ex oculorum obtutu, superciliorum aut remis-
sione aut contractione, ex maestitia, ex hilaritate, ex
risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex
summissione, ex ceteris similibus facile iudicabimus,
quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque discrepet:
quo in genere non est incommodum, quale quidque eo-
rum sit, ex aliis iudicare, ut, si quid dedeceat illos, vite-
mus ipsi; fit enim nescio quo modo ut magis in aliis
cernamus quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur.
itaque facillume corriguntur in discendo, quorum vitia
147 imitantur emendandi causa magistri. nec vero alienum
est ad ea eligenda, quae dubitationem adferunt, adhibere
doctos homines vel etiam usu peritos et, quid iis de
quoque officii genere placeat, exquirere; maior enim
pars eo fere deferri solet, quo a natura ipsa deducitur.
in quibus videndum est non modo quid quisque loqua-
tur, sed etiam quid quisque sentiat atque etiam de qua
causa quisque sentiat. ut enim pictores et ii, qui signa
fabricantur, et vero etiam poëtae suum quisque opus a
volgo considerari volt, ut, si quid reprehensum sit a
pluribus, id corrigatur, iique et secum et ab aliis, quid
in eo peccatum sit, exquirunt, sic aliorum iudicio per-
multa nobis et facienda et non facienda et mutanda et
148 corrigenda sunt. quae vero more agentur institutisque
civilibus, de iis nihil est praecipiendum; illa enim ipsa
praecepta sunt, nec quemquam hoc errore duci oportet,
ut, si quid Socrates aut Aristippus contra morem con-
suetudinemque civilem fecerint locutive sint, idem sibi
arbitretur licere: magnis illi et divinis bonis hanc licen-
tiam adsequebantur. Cynicorum vero ratio tota est
eicienda; est enim inimica verecundiae, sine qua nihil
149 rectum esse potest, nihil honestum. eos autem, quorum
vita perspecta in rebus honestis atque magnis est, bene
de re publica sentientis ac bene meritos aut merentis
sic, ut aliquo honore aut imperio adfectos, observare et

colere debemus, tribuere etiam multum senectuti, cedere iis, qui magistratum habebunt, habere dilectum civis et peregrini in ipsoque peregrino, privatimne an publice venerit; ad summam, ne agam de singulis, communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus.

Iam de artificiis et quaestibus, qui liberales habendi, 42 150
qui sordidi sint, haec fere accepimus. primum inprobantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut faeneratorum. inliberales autem et sordidi quaestus mercennariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur; est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant; nihil enim proficiant, nisi admodum mentiantur, nec vero est quicquam turpius vanitate. opificesque omnes in sordida arte versantur; nec enim quicquam ingenuum habere potest officina. minimeque artes eae probandae, quae ministrae sunt voluptatum,

cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,

ut ait Terentius. adde huc, si placet, unguentarios, saltatores totumque ludum talarium. quibus autem *in* arti- 151
bus aut prudentia maior inest aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, eae sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestae. mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est; sin magna et copiosa, multa undique adportans multisque sine vanitate inpertiens, non est admodum vituperanda, atque etiam, si satiata quaestu vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulit, videtur iure optimo posse laudari. omnium autem rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agri cultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius: de qua quoniam in Catone maiore satis multa diximus, illim adsumes quae ad hunc locum pertinebunt.

Sed ab iis partibus, quae sunt honestatis, quem ad 43 152
modum officia ducerentur, satis expositum videtur. eorum autem ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere

saepe contentio et comparatio de duobus honestis utrum honestius, qui locus a Panaetio est praetermissus. nam cum omnis honestas manet a partibus quattuor, quarum una est cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis, haec in deligendo officio
153 saepe inter se comparentur necesse est. placet igitur aptiora esse naturae ea officia, quae ex communitate, quam ea, quae ex cognitione ducantur, idque hoc argumento confirmari potest, quod, si contigerit ea vita sapienti, ut omnium rerum adfluentibus copiis omnia, quae cognitione digna sint, summo otio secum ipse consideret et contempletur, tamen, si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita. princepsque omnium virtutum illa sapientia, quam *σοφίαν* Graeci vocant — prudentiam enim, quam Graeci *φρόνησιν,* aliam quandam intellegimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia: illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum et humanarum scientia, in qua continetur [deorum et] hominum communitas et societas inter ipsos: ea si maxima est, ut est, certe necesse est, quod a communitate ducatur officium, id esse maximum. etenim cognitio contemplatioque rerum naturae manca quodam modo atque inchoata sit, si nulla actio consequatur. ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur; pertinet igitur ad societatem generis
154 humani: ergo haec cognitioni anteponenda est. atque id optimus quisque re ipsa ostendit et iudicat: quis enim est tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei tractanti contemplantique res cognitione dignissimas subito sit adlatum periculum discrimenque patriae, cui subvenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abiciat, etiam si dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur? atque hoc idem in parentis, in amici re aut periculo fecerit.
155 quibus rebus intellegitur studiis officiisque scientiae praeponenda esse officia iustitiae, quae pertinent ad hominum utilitatem, qua nihil homini esse debet antiquius.
44 atque illi, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt; nam et erudiverunt

multos, quo meliores cives utilioresque rebus suis publicis essent, ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoreus, Syracosium Dionem Plato multique multos, nosque ipsi, quicquid ad rem publicam attulimus, si modo aliquid attulimus, a doctoribus atque doctrina instructi ad eam et ornati accessimus. neque solum vivi atque prae- 156
sentes studiosos discendi erudiunt atque docent, sed hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum adsequuntur; nec enim locus ullus est praetermissus ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam rei publicae pertineret, ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur. ita illi ipsi doctrinae studiis et sapientiae dediti ad hominum utilitatem suam prudentiam intellegentiamque potissimum conferunt. ob eamque etiam causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est quam vel acutissime sine eloquentia cogitare, quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate iuncti sumus. atque ut 157
apium examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed, cum congregabilia natura sint, fingunt favos, sic homines (ac multo etiam magis) natura congregati adhibent agendi cogitandique sollertiam. itaque nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio et ieiuna videatur, itemque magnitudo animi remota communitate coniunctioneque humana feritas sit quaedam et inmanitas. ita fit ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque communitas. nec verum est, quod dicitur a quibusdam, propter neces- 158
sitatem vitae, quod ea, quae natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communitatem et societatem, quod, si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio negotiis omnibus omissis totum se in cognitione et scientia conlocaret. non est ita: nam et solitudinem fugeret et socium studii quaereret, tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere. ergo omne officium, quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio.

45 quod cognitione et scientia continetur. illud forsitan
159 quaerendum sit, num haec communitas, quae maxime est apta naturae, sit etiam moderationi modestiaeque semper anteponenda. non placet; sunt enim quaedam partim ita foeda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandae quidem patriae causa sapiens facturus sit. ea Posidonius conlegit permulta, sed ita taetra quaedam, ita obscena, ut dictu quoque videantur turpia. haec igitur non suscipiet rei publicae causa; ne res publica quidem pro se suscipi volet. sed hoc commodius se res habet, quod non potest accidere tempus, ut intersit rei
160 publicae quicquam illorum facere sapientem. qua re hoc quidem effectum est, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate. etenim cognitionem prudentiamque sequetur considerata actio: ita fit ut agere considerate pluris sit quam cogitare prudenter. atque haec quidem hactenus. patefactus enim locus est ipse, ut non difficile sit in exquirendo officio quid cuique sit praeponendum videre. in ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique praestet intellegi possit, ut prima dis inmortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gra-
161 datim reliquis debeantur. quibus ex rebus breviter disputatis intellegi potest non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit, sed etiam, duobus propositis honestis utrum honestius sit. hic locus a Panaetio est, ut supra dixi, praetermissus. sed iam ad reliqua pergamus.

M. TULLII CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCUM FILIUM
LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Hoc libro Cicero totius disputationis secundum locum de utili explicare instituit. Utile autem ei est vel opinatum, quod ab honesto discrepat, vel verum, quod cum honesto est coniunctum et natura confusum et totum in virtute positum. Sed quoniam, quaecumque ad vitam hominum tuendam et ad utilitatem nostram pertinent, aut sunt hominum opera perfecta aut sine eorum auxilio comparari non possunt, hominesque hominibus plurimum obesse et prodesse possunt, relictis omnibus hominum animos nobis conciliandos et ad usus nostros adiungendos esse docet; quod quo modo fieri possit, non in singulis modo hominibus, sed etiam in multitudine et populo universo, copiose demonstrat, sed ita, ut omnem amorem atque benevolentiam hominum a virtute et honestate repetat, ut a iustitia, sapientia, liberalitate, fide, humanitate, hospitalitate (c. 3—24). Ad utilitatem vero quoniam pertinet etiam valetudo pecuniaeque curatio, quo modo valetudo sustentetur et pecunia honeste quaeratur, ostendit (c. 24 extr.). In comparatione autem utilitatum cum vel corporis commoda cum externis vel commoda corporis inter se vel externa cum externis conferantur, dubium esse negat quin maior utilitas minori sit anteponenda, hac tamen lege, ut ne ab honesto deflectatur (c. 25).

Quem ad modum officia ducerentur ab honestate, 1 1
Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. sequitur ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad vitae cultum et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias. [in quo tum quaeri dixi quid utile, quid inutile, tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile.] de quibus dicere adgrediar, si pauca
prius de instituto ac de iudicio meo dixero. quamquam 2
enim libri nostri conplures non modo ad legendi, sed

etiam ad scribendi studium excitaverunt, tamen inter-
dum vereor ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen
sit invisum mirenturque in ea tantum me operae et tem-
poris ponere. ego autem, quam diu res publica per eos
gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnis meas curas
cogitationesque in eam conferebam; cum autem domi-
natu unius omnia tenerentur neque esset usquam con-
silio aut auctoritati locus, socios denique tuendae rei
publicae, summos viros, amisissem, nec me angoribus
dedidi, quibus essem confectus, nisi iis restitissem, nec
3 rursum indignis homine docto voluptatibus. atque uti-
nam res publica stetisset quo coeperat statu nec in ho-
mines non tam commutandarum quam evertendarum
rerum cupidos incidisset! primum enim, ut stante re
publica facere solebamus, in agendo plus quam in scri-
bendo operae poneremus, deinde ipsis scriptis non ea,
quae nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut saepe
fecimus. cum autem res publica, in qua omnis mea
cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino,
illae scilicet litterae conticuerunt forenses et senatoriae.
4 nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis
ab initio versatus aetatis existimavi honestissime mo-
lestias posse deponi, si me ad philosophiam rettulissem:
cui cum multum adulescens discendi causa temporis
tribuissem, postea quam honoribus inservire coepi me-
que totum rei publicae tradidi, tantum erat philosophiae
loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae tem-
poribus; id autem omne consumebatur in legendo, scri-
2 bendi otium non erat. maximis igitur in malis hoc
5 tamen boni adsecuti videmur, ut ea litteris mandaremus,
quae nec erant satis nota nostris et erant cognitione
dignissima. quid enim est, per deos, optabilius sapien-
tia, quid praestantius, quid homini melius, quid homine
dignius? hanc igitur qui expetunt philosophi nominantur,
nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis,
praeter studium sapientiae; sapientia autem est, ut a
veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et
humanarum causarumque, quibus eae res continentur,
scientia, cuius studium qui vituperat haud sane intellego
6 quidnam sit quod laudandum putet. nam sive oblectatio

quaeritur animi requiesque curarum, quae conferri cum
eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt quod
spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio
constantiae virtutisque ducitur, aut haec ars est aut nulla
omnino, per quam eas adsequamur: nullam dicere maxu-
marum rerum artem esse, cum minimarum sine arte
nulla sit, hominum est parum considerate loquentium at-
que in maxumis rebus errantium; si autem est aliqua
disciplina virtutis, ubi ea quaeretur, cum ab hoc discendi
genere discesseris? sed haec, cum ad philosophiam co-
hortamur, accuratius disputari solent, quod alio quodam
libro fecimus; hoc autem tempore tantum nobis decla-
randum fuit, cur orbati rei publicae muneribus ad hoc
nos studium potissimum contulissemus. occurritur au- 7
tem nobis, et quidem a doctis et eruditis quaerentibus,
satisne constanter facere videamur, qui, cum percipi nihil
posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere solea-
mus et hoc ipso tempore praecepta officii persequamur;
quibus vellem satis cognita esset nostra sententia: non
enim sumus ii, quorum vagetur animus errore nec habeat
umquam quid sequatur; quae enim esset ista mens vel
quae vita potius, non modo disputandi, sed etiam vi-
vendi ratione sublata? nos autem, ut ceteri alia certa,
alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes alia pro-
babilia, contra alia dicimus. quid est igitur quod me 8
inpediat ea, quae probabilia mihi videantur, sequi, quae
contra, inprobare atque adfirmandi adrogantiam vitantem
fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum?
contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ip-
sum probabile elucere non posset, nisi ex utraque parte
causarum esset facta contentio. sed haec explanata sunt
in Academicis nostris satis, ut arbitror, diligenter; tibi
autem, mi Cicero, quamquam in antiquissima nobilissi-
maque philosophia Cratippo auctore versaris, iis simil-
limo, qui ista praeclara pepererunt, tamen haec nostra,
finituma vestris, ignota esse nolui. sed iam ad instituta
pergamus.

Quinque igitur rationibus propositis officii perse- 3 9
quendi, quarum duae ad decus honestatemque pertine-
rent, duae ad commoda vitae, copias, opes, facultates,

quinta ad eligendi iudicium, si quando ea, quae dixi,
pugnare inter se viderentur, honestatis pars confecta est,
quam quidem tibi cupio esse notissimam. hoc autem,
de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appella-
tur; in quo [verbo] lapsa consuetudo deflexit de via
sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate
secernens constitueret esse honestum aliquid, quod utile
non esset, et utile, quod non honestum, qua nulla per-
10 nicies maior hominum vitae potuit adferri. summa qui-
dem auctoritate philosophi severe sane atque honeste
haec tria genera confusa cogitatione distinguunt. [quic-
quid enim iustum sit, id etiam utile esse censent, item-
que quod honestum, idem iustum: ex quo efficitur ut,
quicquid honestum sit, idem sit utile.] quod qui parum
perspiciunt, ii saepe, versutos homines et callidos admi-
rantes, malitiam sapientiam iudicant: quorum error eri-
piendus est opinioque omnis ad eam spem traducenda,
ut honestis consiliis iustisque factis, non fraude et mali-
11 tia se intellegant ea, quae velint, consequi posse. quae
ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt
inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quae gignuntur e
terra, ut alia generis eiusdem, partim animalia, quae
habent suos impetus et rerum adpetitus. eorum autem
alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia: expertes
rationis equi, boves, reliquae pecudes, [apes,] quarum
opera efficitur aliquid ad usum hominum atque vitam;
ratione autem utentium duo genera ponunt, deorum
unum, alterum hominum. deos placatos pietas efficiet
et sanctitas; proxime autem et secundum deos homines
12 hominibus maxume utiles esse possunt. earumque item
rerum, quae noceant et obsint, eadem divisio est; sed
quia deos nocere non putant, iis exceptis homines homi-
nibus obesse plurimum arbitrantur. ea enim ipsa, quae
inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta,
quae nec haberemus, nisi manus et ars accessisset, nec
iis sine hominum administratione uteremur; neque enim
valetudinis curatio neque navigatio neque agri cultura
neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et con-
13 servatio sine hominum opera ulla esse potuisset. iam
vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio

et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset,
nisi his muneribus homines fungerentur; eademque ra-
tione nec lapides ex terra exciderentur ad usum nostrum
necessarii, nec 'ferrum, aes, aurum, argentum' effodere-
tur 'penitus abditum' sine hominum labore et manu.
tecta vero, quibus et frigorum vis pelleretur et calorum 4
molestiae sedarentur, unde aut initio generi humano dari
potuissent aut postea subvenire, si aut vi tempestatis aut
terrae motu aut vetustate cecidissent, nisi communis
vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicis-
set? adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agro- 14
rum inrigationes, molis oppositas fluctibus, portus manu
factos: quae unde sine hominum opera habere possemus?
ex quibus multisque aliis perspicuum est, qui fructus
quaeque utilitates ex rebus iis, quae sunt inanimae, per-
cipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu at-
que opera capere potuisse. qui denique ex bestiis fru-
ctus aut quae commoditas, nisi homines adiuvarent, per-
cipi posset? nam et qui principes inveniendi fuerunt,
quem ex quaque belua usum habere possemus, homines
certe fuerunt, nec hoc tempore sine hominum opera aut
pascere eas aut domare aut tueri aut tempestivos fru-
ctus ex iis capere possemus, ab eisdemque et quae nocent
interficiuntur et quae usui possunt esse capiuntur. quid 15
enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino
nulla esse potuisset? qui enim aegris subveniretur, quae
esset oblectatio valentium, qui victus aut cultus, nisi tam
multae nobis artes ministrarent, quibus rebus exculta
hominum vita tantum destitit a victu et cultu bestiarum?
urbes vero sine hominum coetu non potuissent nec aedi-
ficari nec frequentari, ex quo leges moresque constituti,
tum iuris aequa discriptio certaque vivendi disciplina:
quas res et mansuetudo animorum consecuta et vere-
cundia est effectumque ut esset vita munitior atque ut
dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et com-
modandis nulla re egeremus.

Longiores hoc loco sumus quam necesse est. quis 5 16
est enim cui non perspicua sint illa, quae pluribus ver-
bis a Panaetio commemorantur, neminem neque ducem
belli nec principem domi magnas res et salutaris sine

hominum studiis gerere potuisse? commemoratur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos negat sine adiumentis hominum tantas res efficere potuisse: utitur in re non dubia testibus non necessariis. atque ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu, sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. est Dicaearchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni et copiosi, qui conlectis ceteris causis eluvionis, pestilentiae, vastitatis, beluarum etiam repentinae multitudinis, quarum impetu docet quaedam hominum genera esse consumpta, deinde comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu, id est bellis aut seditionibus,
17 quam omni reliqua calamitate. cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus et prosint et obsint, proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum et ad usus suos adiungere. itaque, quae in rebus inanimis quaeque in tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis, hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum prompta ac parata virorum praestantium sapientia et virtute excitantur.
18 etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur, quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit, alterum cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant, adpetitionesque, quas illi ὁρμάς, oboedientis efficere rationi, tertium iis, quibuscum congregemur, uti moderate et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habemus, per eosdemque, si quid inportetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sint, tantaque poena adficiamus, quantam aequitas hu-
6 19 manitasque patitur. quibus autem rationibus hanc facultatem adsequi possimus, ut hominum studia conplectamur eaque teneamus, dicemus, neque ita multo post, sed pauca ante dicenda sunt. magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas, quis ignorat? nam et cum prospero flatu eius

utimur, ad exitus pervehimur optatos et cum reflavit
adfligimur. haec igitur ipsa fortuna ceteros casus rario-
res habet, primum ab inanimis procellas, tempestates,
naufragia, ruinas, incendia, deinde a bestiis ictus, mor-
sus, impetus; haec ergo, ut dixi, rariora: at vero interi- 20
tus exercituum, ut proxime trium, saepe multorum, cla-
des imperatorum, ut nuper summi et singularis viri,
invidiae praeterea multitudinis atque ob eas bene meri-
torum saepe civium expulsiones, calamitates, fugae,
rursusque secundae res, honores, imperia, victoriae,
quamquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus et
studiis neutram in partem effici possunt. hoc igitur
cognito dicendum est, quonam modo hominum studia ad
utilitates nostras adlicere atque excitare possimus: quae
si longior fuerit oratio cum magnitudine utilitatis com-
paretur; ita fortasse etiam brevior videbitur.

Quaecumque igitur homines homini tribuunt ad eum 21
augendum atque honestandum, aut benevolentiae gratia
faciunt, cum aliqua de causa quempiam diligunt, aut
honoris, si cuius virtutem suspiciunt quemque dignum
fortuna quam amplissima putant, aut cui fidem habent et
bene rebus suis consulere arbitrantur, aut cuius opes
metuunt, aut contra, a quibus aliquid exspectant, ut cum
reges popularesve homines largitiones aliquas proponunt,
aut postremo pretio ac mercede ducuntur, quae sordidis-
sima est illa quidem ratio et inquinatissima et iis, qui ea
tenentur, et illis, qui ad eam confugere conantur; male 22
enim se res habet, cum, quod virtute effici debet, id tem-
ptatur pecunia. sed quoniam non numquam hoc subsi-
dium necessarium est, quem ad modum sit utendum eo
dicemus, si prius iis de rebus, quae virtuti propiores sunt,
dixerimus. atque etiam subiciunt se homines imperio alte-
rius et potestati de causis pluribus: ducuntur enim aut be-
nevolentia et beneficiorum magnitudine aut dignitatis prae-
stantia aut spe sibi id utile futurum aut metu ne vi parere
cogantur aut spe largitionis promissisque capti aut po-
stremo, ut saepe in nostra re publica videmus, mercede
conducti. omnium autem rerum nec aptius est quic- 7 23
quam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi nec alie-
nius quam timeri; praeclare enim Ennius:

quem metuunt oderunt: quem quisque odit periisse
expetit.

multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. nec vero huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas paretque cum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum valeat ad pestem, sed reliquorum similes exitus tyrannorum, quorum haud fere quisquam talem interitum effugit; malus enim est custos diuturnitatis metus contraque benevolentia fidelis vel ad perpe-
24 tuitatem. sed iis, qui vi oppressos imperio coërcent, sit sane adhibenda saevitia, ut eris in famulos, si aliter teneri non possunt: qui vero in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur, iis nihil potest esse dementius. quamvis enim sint demersae leges alicuius opibus, quamvis timefacta libertas, emergunt tamen haec aliquando aut iudiciis tacitis aut occultis de honore suffragiis; acriores autem morsus sunt intermissae libertatis quam retentae. quod igitur latissume patet neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes et potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur: ita facillime quae volemus et privatis in rebus et in re publica consequemur. etenim qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi ne-
25 cesse est. quid enim censemus superiorem illum Dionysium quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillum? quid Alexandrum Pheraeum quo animo vixisse arbitramur? qui, ut scriptum legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens barbarum et eum quidem, ut scriptum est, conpunctum notis Thraeciis destricto gladio iubebat anteire praemittebatque de stipatoribus suis qui scrutarentur arculas muliebris et, ne quod in vestimentis telum occultaretur, exquirerent. o miserum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam putaret quam coniugem! nec eum fefellit; ab ea est enim ipsa propter pelicatus suspitionem interfectus. nec vero ulla vis imperii tanta est, quae premente metu possit esse diuturna:
26 testis est Phalaris, cuius est praeter ceteros nobilitata

crudelitas, qui non ex insidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander, non a paucis, ut hic noster, sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt universique se ad Pyrrhum contulerunt? quid? Lacedaemonios iniuste imperantis nonne repente omnes fere socii deseruerunt spectatoresque se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis? externa libentius in tali re quam do- 8
mestica recordor. verum tamen quam diu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis, bella aut pro sociis aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites aut necessarii, regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus, nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. itaque illud patrocinium orbis 27
terrae verius quam imperium poterat nominari. sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus, post vero Sullae victoriam penitus amisimus; desitum est enim videri quicquam in socios iniquum, cum exstitisset in civis tanta crudelitas. ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria; est enim ausus dicere, hasta posita cum bona in foro venderet et bonorum virorum et locupletium et certe civium, praedam se suam vendere. secutus est qui in causa inpia, victoria etiam foediore, non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno calamitatis iure conprehenderet. itaque vexatis ac perditis 28
exteris nationibus ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus et ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno quicquam sol vidisset indignius. iure igitur plectimur. nisi enim multorum inpunita scelera tulissemus, numquam ad unum tanta pervenisset licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos inprobos venit hereditas. nec 29
vero umquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset dictatore

propinquo suo, idem sexto tricensimo anno post a scele-
ratiore hasta non recessit, alter autem, qui in illa dicta-
tura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus: ex quo
debet intellegi talibus praemiis propositis numquam de-
futura bella civilia. itaque parietes modo urbis stant et
manent, iique ipsi iam extrema scelera metuentes, rem
vero publicam penitus amisimus. atque in has cladis
incidimus — redeundum est enim ad propositum —,
dum metui quam cari esse et diligi maluimus; quae si
populo Romano iniuste imperanti accidere potuerunt,
quid debent putare singuli? quod cum perspicuum sit
benevolentiae vim esse magnam, metus inbecillam, se-
quitur ut disseramus, quibus rebus facillime possimus
eam, quam volumus, adipisci cum honore et fide carita-
30 tem. sed ea non pariter omnes egemus; nam ad cuius-
que vitam institutam accommodandum est, a multisne
opus sit an satis sit a paucis diligi. certum igitur hoc
sit, idque et primum et maxume necessarium, familia-
ritates habere fidas amantium nos amicorum et nostra
mirantium: haec enim una res prorsus, ut non multum
differat inter summos et mediocris viros, aeque utrisque
31 est prope modum conparanda. honore et gloria et bene-
volentia civium fortasse non aeque omnes egent, sed
tamen, si cui haec suppetunt, adiuvant aliquantum cum
ad cetera, tum ad amicitias conparandas.

9 Sed de amicitia alio libro dictum est [qui inscribitur
Laelius]: nunc dicamus de gloria, quamquam ea quo-
que de re duo sunt nostri libri, sed attingamus, quando
quidem ea in rebus maioribus administrandis adiuvat
plurimum. summa igitur et perfecta gloria constat ex
tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum
admiratione quadam honore dignos putat. haec autem,
si est simpliciter breviterque dicendum, quibus rebus
pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine; sed est
alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in uni-
32 versorum animos tamquam influere possimus. ac pri-
mum de illis tribus, quae ante dixi, benevolentiae prae-
cepta videamus: quae quidem capitur beneficiis maxime;
secundo autem loco [voluntate benefica benevolentia
movetur], etiam si res forte non suppetit, vehementer

amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione
liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei omniumque
earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem mo-
rum ac facilitatem. etenim illud ipsum, quod honestum
decorumque dicimus, quia per se nobis placet animos-
que omnium natura et specie sua commovet maximeque
quasi perlucet ex iis, quas commemoravi, virtutibus, id-
circo illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura
ipsa diligere cogimur. atque hae quidem causae dili-
gendi gravissimae; possunt enim praeterea non nullae
esse leviores. fides autem ut habeatur duabus rebus 33
effici potest: si existimabimur adepti coniunctam cum
iustitia prudentiam. nam et iis fidem habemus, quos
plus intellegere quam nos arbitramur quosque et futura
prospicere credimus et, cum res agatur in discrimenque
ventum sit, expedire rem et consilium ex tempore ca-
pere posse; hanc enim utilem homines existimant veram-
que prudentiam. iustis autem [et fidis] hominibus, id
est bonis viris, ita fides habetur, ut nulla sit in iis frau-
dis iniuriaeque suspitio; itaque his salutem nostram, his
fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. ha- 34
rum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus
pollet, quippe cum ea sine prudentia satis habeat aucto-
ritatis: prudentia sine iustitia nihil valet ad faciendam
fidem; quo enim quis versutior et callidior, hoc invisior
et suspectior detracta opinione probitatis. quam ob rem
intellegentiae iustitia coniuncta quantum volet habebit
ad faciendam fidem virium; [iustitia sine prudentia mul-
tum poterit,] sine iustitia nihil valebit prudentia. sed ne 35
quis sit admiratus cur, cum inter omnis philosophos con-
stet a meque ipso saepe disputatum sit, qui unam habe-
ret, omnis habere virtutes, nunc ita seiungam, quasi
possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse,
alia est illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione,
subtilitas, alia, cum ad opinionem communem omnis
accommodatur oratio: quam ob rem, ut volgus, ita nos
hoc loco loquimur, ut alios fortis, alios viros bonos, alios
prudentis esse dicamus; popularibus enim verbis est
agendum et usitatis, cum loquimur de opinione populari,
idque eodem modo fecit Panaetius. sed ad propositum

36 revertamur. erat igitur ex iis tribus, quae ad gloriam
pertinerent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum
honore ab iis digni iudicaremur. admirantur igitur
communiter illi quidem omnia, quae magna et praeter
opinionem suam animadverterunt, separatim autem in
singulis, si perspiciunt nec opinata quaedam bona. ita-
que eos viros suspiciunt maxumisque ecferunt laudibus,
in quibus existumant se excellentis quasdam et singula-
ris perspicere virtutes, despiciunt autem eos et contem-
nunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum
putant. non enim omnis eos contemnunt, de quibus
male existumant; nam quos inprobos, maledicos, frau-
dulentos putant et ad faciendam iniuriam instructos, eos
haud contemnunt quidem, sed de iis male existumant. quam
ob rem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui 'nec sibi nec
alteri', ut dicitur, in quibus nullus labor, nulla industria,
37 nulla cura est; admiratione autem adficiunt ii, qui anteire
ceteris virtute putantur et cum omni carere dedecore,
tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt ob-
sistere. nam et voluptates, blandissumae dominae, maio-
ris partis animos a virtute detorquent et, dolorum cum
admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur:
vita mors, divitiae paupertas omnis homines vehementis-
sime permovent. quae qui in utramque partem excelso
animo magnoque despiciunt, cumque aliqua iis ampla et
honesta res obiecta totos ad se convertit et rapit, tum
quis non admiretur splendorem pulchritudinemque vir-
11 38 tutis? ergo et haec animi despicientia admirabilitatem
magnam facit et maxume iustitia, ex qua una virtute
viri boni appellantur, mirifica quaedam multitudini vide-
tur, nec iniuria: nemo enim iustus esse potest, qui mor-
tem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet aut
qui ea, quae sunt his contraria, aequitati anteponit.
maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur:
quod in quo viro perspectum est, hunc igni spectatum
arbitrantur. itaque illa tria, quae proposita sunt ad
gloriam, omnia iustitia conficit, et benevolentiam, quod
prodesse volt plurimis, et ob eandem causam fidem et
admirationem, quod eas res spernit et neglegit, ad quas
plerique inflammati aviditate rapiuntur.

Ac mea quidem sententia omnis ratio atque insti- 39
tutio vitae adiumenta hominum desiderat, in primisque,
ut habeat quibuscum possit familiaris conferre sermones:
quod est difficile, nisi speciem prae te boni viri feras.
ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti
opinio iustitiae necessaria est, eoque etiam magis, quod,
eam si non habebunt, [iniusti habebuntur] nullis praesi-
diis saepti multis adficientur iniuriis. atque iis etiam, 40
qui vendunt emunt, conducunt locant, contrahendisque
negotiis implicantur, iustitia ad rem gerendam necessaria
est, cuius tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio
et scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae
vivere: nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur,
furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem
relinquit locum, ille autem, qui archipirata dicitur, nisi
aequabiliter praedam dispertiat, aut interficiatur a sociis
aut relinquatur. quin etiam leges latronum esse dicun-
tur, quibus pareant, quas observent; itaque propter
aequabilem praedae partitionem et Bardulis Illyrius
[latro], de quo est apud Theopompum, magnas opes
habuit et multo maiores Viriathus Lusitanus, cui qui-
dem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt,
quem C. Laelius, is qui Sapiens usurpatur, praetor fre-
git et comminuit ferocitatemque eius ita repressit, ut
facile bellum reliquis traderet. cum igitur tanta vis
iustitiae sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque
augeat, quantam eius vim inter leges et iudicia et in
constituta re publica fore putamus? mihi quidem non 12 41
apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud
maiores nostros iustitiae fruendae causa videntur olim
bene morati reges constituti: nam cum premeretur inops
multitudo ab iis, qui maiores opes habebant, ad unum
aliquem confugiebant virtute praestantem, qui cum pro-
hiberet iniuria tenuiores, aequitate constituenda summos
cum infimis pari iure retinebat. eademque constituen-
darum legum fuit causa quae regum. ius enim semper 42
est quaesitum aequabile; neque enim aliter esset ius: id
si ab uno iusto et bono viro consequebantur, erant eo
contenti; cum id minus contingeret, leges sunt inventae,
quae cum omnibus semper una atque eadem voce loque-

rentur. ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis; adiuncto vero ut idem etiam prudentes haberentur nihil erat quod homines iis auctoribus non posse consequi se arbitrarentur. omni igitur ratione colenda et retinenda iustitia est, cum ipsa per sese — nam aliter iustitia non esset —, tum propter amplificationem honoris et gloriae. sed ut pecuniae non quaerendae solum ratio est, verum etiam conlocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberalis, sic gloria et quaerenda et conlocanda
43 ratione est: quamquam praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. quod si qui simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone sed etiam voltu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant: vera gloria radices agit atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quicquam esse diuturnum. testes sunt permulti in utramque partem, sed brevitatis causa familia contenti erimus una: Tiberius enim Gracchus, P. f., tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit, at eius filii nec vivi probabantur bonis et mortui numerum obtinent iure caesorum. qui igitur adipisci veram gloriam volet, iustitiae fungatur officiis: ea quae essent, dictum est in libro superiore.

13
44 Sed ut facillime, quales simus, tales esse videamur, etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus, tamen quaedam praecepta danda sunt. nam si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis aut a patre acceptam, quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse, aut aliquo casu atque fortuna, in hunc oculi omnium coniciuntur atque in eum, quid agat, quem ad modum vivat, inquiritur et, tamquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec di-
45 ctum eius esse nec factum; quarum autem prima aetas propter humilitatem et obscuritatem in hominum ignoratione versatur, ii, simul ac iuvenes esse coeperunt, magna spectare et ad ea rectis studiis debent conten-

dere, quod eo firmiore animo facient, quia non modo
non invidetur illi aetati, verum etiam favetur. prima
est igitur adulescenti commendatio ad gloriam, si qua
ex bellicis rebus conparari potest, in qua multi apud
maiores nostros exstiterunt; semper enim fere bella gere-
bantur. tua autem aetas incidit in id bellum, cuius
altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis pa-
rum; quo tamen in bello cum te Pompeius alae [alteri]
praefecisset, magnam laudem et a summo viro et ab
exercitu consequebare equitando, iaculando, omni mili-
tari labore tolerando. atque ea quidem tua laus pariter
cum re publica cecidit. mihi autem haec oratio suscepta
non de te est, sed de genere toto: quam ob rem perga-
mus ad ea, quae restant. ut igitur in reliquis rebus 46
multo maiora opera sunt animi quam corporis, sic eae
res, quas ingenio ac ratione persequimur, gratiores sunt
quam illae, quas viribus. prima igitur commendatio
proficiscitur a modestia cum pietate in parentis, in suos
benevolentia. facillume autem et in optimam partem
cognoscuntur adulescentes, qui se ad claros et sapientis
viros bene consulentis rei publicae contulerunt, quibus-
cum si frequentes sunt, opinionem adferunt populo eo-
rum fore se similis, quos sibi ipsi delegerint ad imi-
tandum. P. Rutilii adulescentiam ad opinionem et 47
innocentiae et iuris scientiae P. Mucii commendavit
domus. nam L. quidem Crassus, cum esset admodum
adulescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse pe-
perit maxumam laudem ex illa accusatione nobili et
gloriosa, et, qua aetate qui exercentur laude adfici so-
lent, ut de Demosthene accepimus, ea aetate L. Crassus
ostendit id se in foro optume iam facere, quod etiam
tum poterat domi cum laude meditari. sed cum duplex 14
ratio sit orationis, quarum in altera sermo est, in altera 48
contentio, non est id quidem dubium, quin contentio
[orationis] maiorem vim habeat ad gloriam — ea est
enim, quam eloquentiam dicimus —, sed tamen difficile
dictu est, quanto opere conciliet animos comitas adfabi-
litasque sermonis. exstant epistulae et Philippi ad
Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad
Philippum filium, trium prudentissimorum — sic enim

accepimus —, quibus praecipiunt ut oratione benigna
multitudinis animos ad benevolentiam adliciant milites-
que blande appellando deleniant. quae autem in multi-
tudine cum contentione habetur oratio, ea saepe universam
excitat; magna est enim admiratio copiose sapienterque
dicentis, quem qui audiunt intellegere etiam et sapere
plus quam ceteros arbitrantur. si vero inest in oratione
mixta modestia gravitas, nihil admirabilius fieri potest,
49 eoque magis, si ea sunt in adulescente. sed cum sint
plura causarum genera, quae eloquentiam desiderent,
multique in nostra re publica adulescentes et apud iudi-
ces et apud populum et apud senatum dicendo laudem
adsecuti sint, maxima est admiratio in iudiciis, quorum
ratio duplex est; nam ex accusatione et ex defensione
constat, quarum etsi laudabilior est defensio, tamen
etiam accusatio probata persaepe est. dixi paulo ante
de Crasso; idem fecit adulescens M. Antonius. etiam
P. Sulpicii eloquentiam accusatio inlustravit, cum sedi-
tiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium
50 vocavit. sed hoc quidem non est saepe faciendum nec
umquam nisi aut rei publicae causa, ut ii, quos ante
dixi, aut ulciscendi, ut duo Luculli, aut patrocinii, ut
nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius. in accu-
sando etiam M'. Aquilio L. Fufii cognita industria est.
semel igitur aut non saepe certe: sin erit cui faciendum
sit saepius, rei publicae tribuat hoc muneris, cuius ini-
micos ulcisci saepius non est reprehendendum, modus
tamen adsit; duri enim hominis vel potius vix hominis
videtur periculum capitis inferre multis. id cum pericu-
losum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, commit-
tere ut accusator nominere; quod contigit M. Bruto,
summo genere nato, illius filio, qui iuris civilis in primis
51 peritus fuit. atque etiam hoc praeceptum officii dili-
genter tenendum est, ne quem umquam innocentem
iudicio capitis arcessas; id enim sine scelere fieri nullo
pacto potest; nam quid est tam inhumanum quam elo-
quentiam a natura ad salutem hominum et ad conserva-
tionem datam ad bonorum pestem perniciemque conver-
tere? nec tamen, ut hoc fugiendum est, item est habendum
religioni nocentem aliquando, modo ne nefarium inpium-

que, defendere: volt hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. iudicis est semper in causis verum sequi, patroni non numquam veri simile, etiam si minus sit verum, defendere; quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panaetio. maxume autem et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urguerique videatur, ut nos et saepe alias et adulescentes contra L. Sullae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus, quae, ut scis, exstat oratio.

Sed expositis adulescentium officiis, quae valeant ad 15
gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia ac de 52
liberalitate dicendum est, cuius est ratio duplex: nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. facilior est haec posterior, locupleti praesertim, sed illa lautior ac splendidior et viro forti claroque dignior. quamquam enim in utraque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur, largitioque, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur, qua
quo in pluris usus sis, eo minus in multos uti possis; at 53
qui opera, id est virtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo pluris ad benigne faciendum adiutores habebunt, dein consuetudine beneficentiae paratiores erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. praeclare in epistula quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. 'quae te, malum!' inquit 'ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fidelis putares fore, quos pecunia corrupisses? an tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore?' bene 'ministrum et praebitorem,' quia sordidum regi, melius etiam, quod largitionem corruptelam dixit esse; fit enim deterior qui accipit atque ad idem semper exspectandum
paratior. hoc ille filio, sed praeceptum putemus omni- 54
bus. quam ob rem id quidem non dubium est, quin illa benignitas, quae constat ex opera et industria, et

honestior sit et latius pateat et possit prodesse pluribus: non numquam tamen est largiendum nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari inpertiendum, sed diligenter atque moderate; multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. quid autem est stultius quam, quod libenter facias, curare ut id diutius facere non possis? atque etiam sequuntur largitionem rapinae: cum enim dando egere coeperunt, alienis bonis manus adferre coguntur. ita, cum benevolentiae conparandae causa benefici esse velint, non tanta studia adsequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ade-
55 merunt. quam ob rem nec ita claudenda res est familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur isque referatur ad facultates. omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus saepissime usurpatum iam in proverbii consuetudinem venit, largitionem fundum non habere; etenim quis potest modus esse, cum et idem
16 qui consuerunt et idem illud alii desiderent? omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi, qui epulis et viscerationibus et gladiatorum muneribus, ludorum venationumque adparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sint relicturi, liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt aut aes alienum suscipiunt amicorum aut in filiarum conlocatione adiuvant aut opitulantur in re vel quaerenda vel
56 augenda. itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto in eo libro, quem de divitiis scripsit, in quo multa praeclare, illud absurde: est enim multus in laudanda magnificentia et adparatione popularium munerum taliumque sumptuum facultatem fructum divitiarum putat. mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius pauca exempla posui, multo et maior videtur et certior. quanto Aristoteles gravius et verius nos reprehendit! qui has pecuniarum effusiones non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam. ait enim, qui ab hoste obsidentur, si emere aquae sextarium cogantur mina, hoc primo incredibile nobis videri omnisque mirari, sed, cum atten-

derint, veniam necessitati dare, in his inmanibus iacturis infinitisque sumptibus nihil nos magno opere mirari, cum praesertim neque necessitati subveniatur nec dignitas augeatur ipsaque illa delectatio multitudinis ad breve exiguumque tempus *, eaque a levissumo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis. bene etiam conligit haec pueris et 57
mulierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata, gravi vero homini et ea, quae fiunt, iudicio certo ponderanti probari posse nullo modo: quamquam intellego in nostra civitate inveterasse iam bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis viris postularetur; itaque et P. Crassus, cum cognomine dives tum copiis, functus est aedilicio maximo munere et paulo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio magnificentissima aedilitate functus est, deinde C. Claudius Ap. f., multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. omnis autem P. Lentulus me consule vicit superiores; hunc est Scaurus imitatus; magnificentissima vero nostri Pompeii munera secundo consulatu: in quibus omnibus quid mihi placeat, vides. vitanda tamen suspitio est 17 58
avaritiae. Mamerco, homini divitissimo, praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit. qua re et, si postulatur a populo, bonis viris si non desiderantibus, at tamen adprobantibus, faciundum est, modo pro facultatibus, nos ipsi ut fecimus, et, si quando aliqua res maior atque utilior populari largitione adquiritur, ut Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine magno honori fuerunt. ne Marco quidem Seio vitio datum est, quod in caritate asse modium populo dedit; magna enim se et inveterata invidia nec turpi iactura, quando erat aedilis, nec maxima liberavit. sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, qui gladiatoribus emptis rei publicae causa, quae salute nostra continebatur, omnis P. Clodii conatus furoresque conpressit. causa igitur largitionis est, si aut necesse est aut utile; in his autem ipsis mediocrita- 59
tis regula optima est. L. quidem Philippus Q. f., magno vir ingenio in primisque clarus, gloriari solebat se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima. dicebat idem Cotta, Curio; nobis quo-

que licet in hoc quodam modo gloriari: nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguus sumptus aedilitatis fuit.
60 atque etiam illae inpensae meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus omniaque, quae ad usum rei publicae pertinent: quamquam quod praesens tamquam in manum datur iucundius est, tamen haec in posterum gratiora. theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo propter Pompeium, sed doctissimi non probant, ut et hic ipse Panaetius, quem multum in his libris secutus sum, non interpretatus, et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea coniecerit. sed de hoc genere toto in iis libris, quos de re publica scripsi, diligenter est disputatum. tota igitur ratio talium largitionum genere vitiosa est, temporibus necessaria, et tum ipsum et ad facultates accommodanda
18 61 et mediocritate moderanda est. in illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis adfecti esse debemus: alia causa est eius, qui calamitate premitur, et eius, qui
62 res meliores quaerit nullis suis rebus adversis. propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate; in iis tamen, qui se adiuvari volent, non ne adfligantur, sed ut altiorem gradum ascendant, restricti omnino esse nullo modo debemus, sed in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere. nam praeclare Ennius:

bene facta male locata male facta arbitror.

63 quod autem tributum est bono viro et grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris; temeritate enim remota gratissima est liberalitas, eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfugium est omnium. danda igitur opera est ut iis beneficiis quam plurimos adficiamus, quorum memoria liberis posterisque prodatur, ut iis ingratis esse non liceat; omnes enim inmemorem beneficii oderunt eamque iniuriam deterrenda liberalitate sibi etiam fieri

cumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. atque haec benignitas etiam rei publicae est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem volgo solitum fieri ab ordine nostro in oratione Crassi scriptum copiose videmus. hanc ego consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono: haec est gravium hominum atque magnorum, illa quasi adsentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium. conveniet autem cum in dando muni- 64
ficum esse tum in exigendo non acerbum in omnique re contrahenda, vendundo emendo, conducendo locando, vicinitatibus et confiniis, aequum, facilem, multa multis de suo iure cedentem, a litibus vero, quantum liceat et nescio an paulo plus etiam quam liceat, abhorrentem; est enim non modo liberale paulum non numquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. habenda autem ratio est rei familiaris, quam quidem delabi sinere flagitiosum est, sed ita, ut inliberalitatis avaritiaeque absit suspitio: posse enim liberalitate uti non spoliantem se patrimonio nimirum est pecuniae fructus maximus. recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas; est enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum patere domus hominum inlustrium hospitibus inlustribus idque etiam rei publicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. est autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit, Cimonem [Athenis] etiam in suos curialis [Laciadas] hospitalem fuisse: ita enim instituisse et vilicis imperavisse, ut omnia praeberentur quicumque Laciades in villam suam devertisset.

Quae autem opera, non largitione beneficia dantur, 19 65
haec tum in universam rem publicam tum in singulos civis conferuntur. nam in iure cavere [consilio iuvare] atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis vehementer et ad opes augendas pertinet et ad gratiam. itaque cum multa praeclara maiorum tum quod optime constituti iuris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio; quam quidem ante hanc

confusionem temporum in possessione sua principes re-
tinuerunt, nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus,
sic huius scientiae splendor deletus est, idque eo in-
dignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is esset, qui
omnis superiores, quibus honore par esset, scientia facile
vicisset. haec igitur opera grata multis et ad beneficiis
66 obstringendos homines accommodata. atque huic arti
finituma est dicendi [gravior] facultas et gratior et orna-
tior; quid enim eloquentia praestabilius vel admiratione
audientium vel spe indigentium vel eorum, qui defensi
sunt, gratia? huic quoque ergo a maioribus nostris est
in toga dignitatis principatus datus. diserti igitur ho-
minis et facile laborantis quodque in patriis est moribus
multorum causas et non gravate et gratuito defendentis
67 beneficia et patrocinia late patent. admonebat me res
ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae, ne di-
cam interitum, deplorarem, ni vererer ne de me ipso
aliquid viderer queri: sed tamen videmus, quibus ex-
stinctis oratoribus quam in paucis spes, quanto in pau-
cioribus facultas, quam in multis sit audacia. cum
autem omnes non possint, ne multi quidem, aut iuris
periti esse aut diserti, licet tamen opera prodesse multis,
beneficia petentem, commendantem iudicibus, magistra-
tibus, vigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut con-
suluntur aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt
plurimum gratiae consequuntur latissimeque eorum ma-
68 nat industria. iam illud non sunt admonendi — est
enim in promptu —, ut animum advertant, cum iuvare
alios velint, ne quos offendant. saepe enim aut eos
laedunt, quos non debent, aut eos, quos non expedit: si
inprudentes, neglegentiae est, si scientes, temeritatis.
utendum etiam est excusatione adversus eos, quos in-
vitus offendas, quacumque possis, qua re id, quod fece-
ris, necesse fuerit nec aliter facere potueris, ceterisque
operis et officiis erit id, quod violatum videbitur, con-
pensandum.

20 Sed cum in hominibus iuvandis aut mores spectari
69 aut fortuna soleat, dictu quidem est proclive itaque volgo
loquuntur, se in beneficiis conlocandis mores hominum,
non fortunam sequi: honesta oratio est; sed quis est

tandem qui inopis et optimi viri causae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? a quo enim expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. sed animadvertendum est diligentius, quae natura rerum sit: nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certe potest; commode autem, quicumque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidisse, qui reddiderit, non habere, gratiam autem et qui rettulerit habere et qui habeat rettulisse. at, qui se locupletis, honoratos, beatos putant, ii ne obligari quidem beneficio volunt; quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamvis magnum aliquod acceperint, atque etiam a se aut postulari aut exspectari aliquid suspicantur, patrocinio vero se usos aut clientis appellari mortis instar putant. at vero ille tenuis, cum, quicquid 70
factum est, se spectatum, non fortunam putat, non modo illi, qui est meritus, sed etiam illis, a quibus exspectat — eget enim multis —, gratum se videri studet, neque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat. videndumque illud est, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo aut, si forte, in liberis eius manet gratia, sin autem inopem, probum tamen et modestum, omnes non inprobi humiles, quae magna in populo multitudo est, praesidium sibi paratum vident: quam ob rem melius apud bonos quam 71
apud fortunatos beneficium conlocari puto. danda omnino opera est ut omni generi satis facere possimus, sed, si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus, qui cum consuleretur, utrum bono viro pauperi an minus probato diviti filiam conlocaret, 'ego vero' inquit 'malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae viro.' sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum; quarum magnitudo quid ad unum quemque nostrum pertinet? illum fortasse adiuvat, qui habet: ne id quidem semper. sed fac iuvare: opulentior sane sit, honestior vero quo modo? quod si etiam bonus erit vir, ne inpediant divitiae quo minus iuvetur, modo ne adiuvent, sitque omne iudicium non, quam locuples, sed qualis quisque sit! extremum autem

praeceptum in beneficiis operaque danda, ne quid contra
aequitatem contendas, ne quid pro iniuria; fundamen-
tum enim est perpetuae commendationis et famae insti-
tia, sine qua nihil potest esse laudabile.

21 Sed, quoniam de eo genere beneficiorum dictum est,
72 quae ad singulos spectant, deinceps de iis, quae ad uni-
versos quaeque ad rem publicam pertinent, disputandum
est. eorum autem ipsorum partim eius modi sunt, ut
ad universos civis pertineant, partim, singulos ut attin-
gant, quae sunt etiam gratiora. danda opera est om-
nino, si possit, utrisque, nec minus, ut etiam singulis
consulatur, sed ita, ut ea res aut prosit aut certe ne
obsit rei publicae. C. Gracchi frumentaria magna lar-
gitio, exhauriebat igitur aerarium: modica M. Octavii
et rei publicae tolerabilis et plebi necessaria, ergo et
73 civibus et rei publicae salutaris. in primis autem viden-
dum erit ei, qui rem publicam administrabit, ut suum
quisque teneat neque de bonis privatorum publice demi-
nutio fiat; perniciose enim Philippus in tribunatu, cum
legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile pas-
sus est et in eo vehementer se moderatum praebuit, sed
cum in agendo multa populariter, tum illud male, non
esse in civitate duo milia hominum, qui rem haberent:
capitalis oratio, ad aequationem bonorum pertinens, qua
peste quae potest esse maior? hanc enim ob causam
maxume, ut sua tenerentur, res publicae civitatesque
constitutae sunt; nam, etsi duce natura congregabantur
homines, tamen spe custodiae rerum suarum urbium
74 praesidia quaerebant. danda etiam opera est ne, quod
apud maiores nostros saepe fiebat propter aerarii tenui-
tatem adsiduitatemque bellorum, tributum sit conferen-
dum, idque ne eveniat multo ante erit providendum.
sin quae necessitas huius muneris alicui rei publicae
obvenerit — malo enim alii quam nostrae ominari, ne-
que tamen de nostra, sed de omni re publica disputo —,
danda erit opera ut omnes intellegant, si salvi esse ve-
lint, necessitati esse parendum. atque etiam omnes, qui
rem publicam gubernabunt, consulere debebunt ut ea-
rum rerum copia sit, quae sunt necessariae. quarum
qualis conparatio fieri soleat et debeat, non est necesse

disputare; est enim in promptu: tantum locus attingendus fuit. caput autem est in omni procuratione negotii 75
et muneris publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspitio. 'utinam' inquit C. Pontius Samnis 'ad illa tempora me fortuna reservavisset et tum essem natus, quando Romani dona accipere coepissent! non essem passus diutius eos imperare.' ne illi multa saecula expectanda fuerunt; modo enim hoc malum in hanc rem publicam invasit; itaque facile patior tum potius Pontium fuisse, si quidem in illo tantum fuit roboris. nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea cum fuisset: at vero postea tot leges et proxumae quaeque duriores, tot rei, tot damnati, tantum [Italicum] bellum propter iudiciorum metum excitatum, tanta sublatis legibus et iudiciis expilatio direptioque sociorum, ut inbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus. laudat Africa- 22
num Panaetius, quod fuerit abstinens. quidni laudet? 76
sed in illo alia maiora: laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus Paulus tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum: at hic nihil domum suam intulit praeter memoriam nominis sempiternam. imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Karthagine eversa. quid? qui eius collega fuit in censura, L. Mummius, num quid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare quam domum suam maluit: quamquam Italia ornata domus ipsa mihi videtur ornatior. nullum igitur vitium taetrius est, ut eo, unde di- 77
gressa est, referat se oratio, quam avaritia, praesertim in principibus et rem publicam gubernantibus; habere enim quaestui rem publicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. itaque, quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia nisi avaritia esse perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis, sed etiam omnibus opulentis populis praedixisse. nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui rei publicae praesunt, quam abstinentia et continentia. qui vero se popularis volunt ob eamque 78

causam aut agrariam rem temptant, ut possessores pel-
lantur suis sedibus, aut pecunias creditas debitoribus con-
donandas putant, labefactant fundamenta rei publicae:
concordiam primum, quae esse non potest, cum aliis adi-
muntur, aliis condonantur pecuniae, deinde aequitatem,
quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. id
enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut
79 sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia. atque
in hac pernicie rei publicae ne illam quidem consequun-
tur, quam putant, gratiam: nam cui res erepta est est
inimicus; cui data est etiam dissimulat se accipere vo-
luisse et maxime in pecuniis creditis occultat suum gau-
dium, ne videatur non fuisse solvendo; at vero ille, qui
accepit iniuriam, et meminit et prae se fert dolorem
suum, nec, si plures sunt ii, quibus inprobe datum est,
quam illi, quibus iniuste ademptum est, idcirco plus
etiam valent; non enim numero haec iudicantur, sed
pondere. quam autem habet aequitatem, ut agrum
multis annis aut etiam saeculis ante possessum qui nul-
23 lum habuit habeat, qui autem habuit amittat? ac pro-
80 pter hoc iniuriae genus Lacedaemonii Lysandrum epho-
rum expulerunt, Agim regem, quod numquam antea
apud eos acciderat, necaverunt, exque eo tempore tantae
discordiae secutae sunt, ut et tyranni exsisterent et optu-
mates exterminarentur et praeclarissime constituta res
publica dilaberetur. nec vero solum ipsa cecidit, sed
etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malo-
rum, quae a Lacedaemoniis profecta emanarunt latius.
quid? nostros Gracchos, Ti. Gracchi summi viri filios,
Africani nepotes, nonne agrariae contentiones perdide-
81 runt? at vero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui, cum
eius civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur,
profectus Argis Sicyonem clandestino introitu urbe est
potitus, cumque tyrannum Nicoclem inproviso oppressis-
set, sescentos exsules, qui locupletissimi fuerant eius
civitatis, restituit remque publicam adventu suo libera-
vit. sed cum magnam animadverteret in bonis et
possessionibus difficultatem, quod et eos, quos ipse
restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquis-
simum esse arbitrabatur et quinquaginta annorum pos-

sessiones moveri non nimis aequum putabat, propterea
quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa em-
ptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria, iudi-
cavit neque illis adimi nec iis non satis fieri, quorum
illa fuerant, oportere. cum igitur statuisset opus esse 82
ad eam rem constituendam pecunia, Alexandream se
proficisci velle dixit remque integram ad reditum
suum iussit esse, isque celeriter ad Ptolemaeum suum
hospitem venit, qui tum regnabat alter post Alexan-
dream conditam; cui cum exposuisset patriam se libe-
rare velle causamque docuisset, a rege opulento vir
summus facile inpetravit ut grandi pecunia adiuvaretur;
quam cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consi-
lium quindecim principes, cum quibus causas cognovit
et eorum, qui aliena tenebant, et eorum, qui sua amise-
rant, perfecitque aestumandis possessionibus, ut persua-
deret aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus
cederent, aliis, ut commodius putarent numerari sibi,
quod tanti esset, quam suum recuperare: ita perfectum
est ut omnes concordia constituta sine querella discede-
rent. o virum magnum dignumque, qui in re publica 83
nostra natus esset! sic par est agere cum civibus, non,
ut bis iam vidimus, hastam in foro ponere et bona
civium voci subicere praeconis. at ille Graecus, id quod
fuit sapientis et praestantis viri, omnibus consulendum
putavit, eaque est summa ratio et sapientia boni civis,
commoda civium non divellere atque omnis aequitate
eadem continere. 'habitent gratis in alieno.' quid ita?
ut, cum ego emerim, aedificarim, tuear, impendam, tu
me invito fruare meo? quid est aliud aliis sua eripere,
aliis dare aliena? tabulae vero novae quid habent argu- 84
menti, nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu ha-
beas, ego non habeam pecuniam? quam ob rem ne sit 24
aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum est,
quod multis rationibus caveri potest, non, si fuerit, ut
locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum;
nec enim ulla res vehementius rem publicam continet
quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessaria
solutio rerum creditarum. numquam vehementius actum
est quam me consule ne solveretur; armis et castris

temptata res est ab omni genere hominum et ordine, quibus ita restiti, ut hoc totum malum de re publica tolleretur. numquam nec maius aes alienum fuit nec melius nec facilius dissolutum est; fraudandi enim spe sublata solvendi necessitas consecuta est. at vero hic nunc victor, tum quidem victus, quae cogitarat, ea perfecit, cum eius iam nihil interesset: tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, [peccare,]
85 etiam si causa non esset. ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rem publicam tuebuntur, in primisque operam dabunt, ut iuris et iudiciorum aequitate suum quisque teneat et neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia, praeterea, quibuscumque rebus vel belli vel domi poterunt, rem publicam augeant imperio, agris, vectigalibus. haec magnorum hominum sunt, haec apud maiores nostros factitata, haec genera officiorum qui persequuntur cum summa utilitate rei publicae magnam ipsi adipiscentur et gratiam et gloriam.

86 In his autem utilitatum praeceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo praeterita censet esse a Panaetio, valetudinis curationem et pecuniae: quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent faciles; sunt certe utiles. sed valetudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse, et continentia in victu omni atque cultu corporis tuendi causa [praetermittendis voluptatibus], postremo arte eorum, quorum ad
87 scientiam haec pertinent. res autem familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia et parsimonia, eisdem etiam rebus augeri. has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur, quem nos, ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus. sed toto hoc de genere, de quaerenda, de conlocanda pecunia, etiam de augenda, commodius a quibusdam optumis viris ad Ianum medium sedentibus quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. sunt tamen ea cognoscenda;

pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est.

Sed utilitatum comparatio, quoniam hic locus erat 25 88
quartus, a Panaetio praetermissus, saepe est necessaria: nam et corporis commoda cum externis [et externa cum corporis] et ipsa inter se corporis et externa cum externis comparari solent. cum externis corporis hoc modo comparantur, valere ut malis quam dives esse, [cum corporis externa hoc modo, dives esse potius quam maxumis corporis viribus,] ipsa inter se corporis sic, ut bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati, externorum autem, ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis. ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a 89
quo cum quaereretur, quid maxume in re familiari expediret? respondit: 'bene pascere;' quid secundum? 'satis bene pascere.' quid tertium? 'male pascere.' quid quartum? 'arare.' et cum ille, qui quaesierat, dixisset 'quid faenerari?' tum Cato 'quid hominem' inquit 'occidere?' ex quo et multis aliis intellegi debet utilitatum comparationes fieri solere recteque hoc adiunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus. reliqua dein- 90
ceps persequemur.

M. TULLII CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCUM FILIUM
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Hoc libro Cicero ad tertium accedit commentationis locum, de honestatis et utilitatis comparatione. Negat autem aut dubitandum esse aut umquam dubitari, an id, quod utile videatur, honesto sit anteponendum; sed tempora incidere, quibus, quod turpe haberi soleat, honestum videatur, ut occidere hominem, qui tyrannus esse coeperit; in quo non utile honesto, sed hoc illi anteponatur. Itaque, ut sine ullo errore diiudicari possit, si quando cum illo, quod honestum intellegitur, pugnare id videatur, quod appellemus utile, formulam quandam e Stoicorum disciplina constituit, quam si quis in comparatione rerum sequatur, numquam ab officio recedat. Ea haec est: detrahere aliquid alteri et alterius incommodo suum augere commodum est contra naturam; pro multorum autem incolumitate et salute labores et molestias suscipere secundum naturam est. Hanc legem qui servaverit numquam aberrabit neque aut temporibus perturbabitur aut iure civili, quo quae conceduntur turpia quidem plerisque non videntur, sed sunt tamen saepissime, cum formulae constitutae, id est legi naturae, repugnant. Ex hac formula deinceps multas quaestiones propositas, quibus officium temporum ratione censet, ad extremum usque explicat.

I P. Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus
1 appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset: magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna; quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret umquam et interdum conloquio alterius non egeret; ita duae res, quae languorem adferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. vellem nobis hoc idem vere

dicere liceret, sed si minus imitatione tantam ingenii
praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime
accedimus; nam et a re publica forensibusque negotiis
armis inpiis vique prohibiti otium persequimur et ob
eam causam urbe relicta rura peragrantes saepe soli
sumus. sed nec hoc otium cum Africani otio nec haec 2
solitudo cum illa comparanda est: ille enim requiescens
a rei publicae pulcherrimis muneribus otium sibi sume-
bat aliquando et e coetu hominum frequentiaque inter-
dum tamquam in portum se in solitudinem recipiebat;
nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi
studio constitutum est. exstincto enim senatu deletis-
que iudiciis quid est quod dignum nobis aut in curia
aut in foro agere possimus? ita qui in maxima celebri- 3
tate atque in oculis civium quondam vixerimus, nunc
fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redun-
dant, abdimus nos quantum licet et saepe soli sumus.
sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum
ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere
ex his ipsis, si quid inesset boni, propterea et otio fruor,
non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset
otium civitati, nec eam solitudinem languere patior, quam
mihi adfert necessitas, non voluntas. quamquam Afri- 4
canus maiorem laudem meo iudicio adsequebatur. nulla
enim eius ingenii monumenta mandata litteris, nullum
opus otii, nullum solitudinis munus exstat; ex quo intel-
legi debet illum mentis agitatione investigationeque ea-
rum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum
nec solum umquam fuisse: nos autem, qui non tantum
roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abs-
trahamur, ad hanc scribendi operam omne studium cu-
ramque convertimus; itaque plura brevi tempore eversa
quam multis annis stante re publica scripsimus.

Sed cum tota philosophia, mi Cicero, frugifera et 2 5
fructuosa nec ulla pars eius inculta ac deserta sit, tum
nullus feracior in ea locus est nec uberior quam de offi-
ciis, a quibus constanter honesteque vivendi praecepta
ducuntur. qua re quamquam a Cratippo nostro, prin-
cipe huius memoriae philosophorum, haec te adsidue
audire atque accipere confido, tamen conducere arbitror

talibus auris tuas vocibus undique circumsonare nec
6 eas, si fieri possit, quicquam aliud audire: quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an nemini potius quam tibi; sustines enim non parvam exspectationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, non nullam fortasse nominis. suscepisti onus praeterea grave et Athenarum et Cratippi; ad quos cum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. qua re quantum coniti animo potes, quantum labore contendere, si discendi labor est potius quam voluptas, tantum fac ut efficias neve committas ut, cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videare. sed haec hactenus; multa enim saepe ad te cohortandi gratia scripsimus: nunc ad reliquam partem propositae divisionis revertamur.

7 Panaetius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit quemque nos correctione quadam adhibita potissimum secuti sumus, tribus generibus propositis, in quibus deliberare homines et consultare de officio solerent, uno cum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe, altero, utilene esset an inutile, tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quo modo ea discerni oporteret, de duobus generibus primis tribus libris explicavit, de tertio autem genere deinceps se scripsit
8 dicturum nec exsolvit id, quod promiserat; quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo eius Posidonio est, triginta annis vixisse Panaetium postea quam illos libros edidisset. quem locum miror a Posidonio breviter esse tactum in quibusdam commentariis, praesertim cum scribat nullum esse locum in tota philosophia tam ne-
9 cessarium. minime vero adsentior iis, qui negant eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse, quia numquam posset utilitas cum honestate pugnare: de quo alterum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in divisione Panaetii tertium est, an plane omittendum, alterum dubitari non potest, quin a Panaetio sus-

ceptum sit, sed relictum. nam qui e divisione tripertita duas partis absolverit, huic necesse est restare tertiam; praeterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur
se deinceps esse dicturum. accedit eodem testis locuples 10
Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistula, P. Rutilium Rufum dicere solere, qui Panaetium audierat, ut nemo pictor esset inventus, qui in Coa Venere eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret — oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat —, sic ea, quae Panaetius praetermisisset [et non perfecisset], propter eorum, quae perfecisset, praestantiam neminem persecutum. quam ob rem de iudi- 3 11
cio Panaetii dubitari non potest; rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adiunxerit an secus, de eo fortasse disputari potest: nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet, sive, quod honestum est, id ita summum bonum est, quem ad modum Peripateticis vestris videtur, ut omnia ex altera parte conlocata vix minimi momenti instar habeant, dubitandum non est quin numquam possit utilitas cum honestate contendere. itaque accepimus Socratem exsecrari solitum eos, qui primum haec natura cohaerentia opinione distraxissent; cui quidem ita sunt Stoici adsensi, ut et, quicquid honestum esset, id utile esse censerent, nec
utile quicquam, quod non honestum. quod si is esset 12
Panaetius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset, ut ii, qui res expetendas vel voluptate vel indolentia metiuntur, liceret ei dicere utilitatem aliquando cum honestate pugnare; sed cum sit is, qui id solum bonum iudicet, quod honestum sit, quae autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri nec decessione peiorem, non videtur debuisse eius modi deliberationem introducere, in qua quod utile videretur cum eo,
quod honestum esset, compararetur. etenim quod sum- 13
mum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturae vivere, id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum virtute congruere semper, cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent. quod cum ita sit, putant quidam hanc comparationem

non recte introductam nec omnino de eo genere quicquam praecipiendum fuisse. atqui illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis neque a virtute divelli umquam potest; in iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo, similitudines honesti
11 esse possunt. haec enim officia, de quibus his libris disputamus, media Stoici appellant: ea communia sunt et late patent, quae et ingenii bonitate multi adsequuntur et progressione discendi; illud autem officium, quod rectum idem appellant, perfectum atque absolutum est et, ut idem dicunt, omnis numeros habet nec praeter
15 sapientem cadere in quemquam potest. cum autem aliquid actum est, in quo media officia conpareant, id cumulate videtur esse perfectum propterea, quod volgus, quid absit a perfecto, non fere intellegit; quatenus autem intellegit, nihil putat praetermissum: quod item in poëmatis, in picturis usu venit in aliisque conpluribus, ut delectentur inperiti laudentque ea, quae laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit in iis aliquid probi, quod capiat ignaros, qui [idem], quid in una quaque re vitii sit, nequeant iudicare; itaque cum sunt docti
4 a peritis, desistunt facile sententia. haec igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quaedam honesta esse dicunt, non sapientium modo propria, sed
16 cum omni hominum genere communia; itaque iis omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur. nec vero cum duo Decii aut duo Scipiones fortes viri commemorantur aut cum Fabricius [aut Aristides] iustus nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab hoc iustitiae tamquam a sapiente petitur exemplum; nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intellegi, nec ii, qui sapientes *sunt* habiti et nominati, M. Cato et C. Laelius, sapientes fuerunt, ne illi quidem septem, sed ex meliorum officiorum frequentia similitudinem quandam gere-
17 bant speciemque sapientium. quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia comparari nec id, quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis umquam est comparandum, tam-

que id honestum, quod in nostram intellegentiam cadit, tuendum conservandumque nobis est quam illud, quod proprie dicitur vereque est honestum, sapientibus; aliter enim teneri non potest, si quae ad virtutem est facta progressio. sed haec quidem de iis, qui conservatione officiorum existimantur boni. qui autem omnia metiun- 18
tur emolumentis et commodis neque ea volunt praeponderari honestate, ii solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non solent. itaque existimo Panaetium, cum dixerit homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit 'solere' modo, non etiam 'oportere;' etenim non modo pluris putare quod utile videatur quam quod honestum sit, sed etiam haec inter se comparare et in his addubitare turpissimum est. quid ergo est quod non numquam dubitationem adferre soleat considerandumque videatur? credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur; saepe enim tempore fit ut, 19
quod turpe plerumque haberi soleat, inveniatur non esse turpe. exempli causa ponatur aliquid quod pateat latius: quod potest maius esse scelus quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit quamvis familiarem? populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existimat. vicit ergo utilitas honestatem? immo vero honestas utilitatem: *honestatem utilitas* secuta est.

Itaque, ut sine ullo errore diiudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intellegimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quaedam constituenda est, quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus. erit autem haec 20
formula Stoicorum rationi disciplinaeque maxime consentanea, quam quidem his libris propterea sequimur, quod, quamquam et a veteribus Academicis et a Peripateticis vestris, qui quondam idem erant qui Academici, quae honesta sunt, anteponuntur iis, quae videntur utilia, tamen splendidius haec ab eis disserentur, quibus, quicquid honestum est, idem utile videtur nec utile quicquam, quod non honestum, quam ab iis, quibus et honestum aliquid non

utile et utile non honestum. nobis autem nostra Aca-
demia magnam licentiam dat, ut, quodcunque maxime
probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere. sed
5 redeo ad formulam. detrahere igitur alteri aliquid et
21 hominem hominis incommodo suum commodum augere
magis est contra naturam quam mors, quam paupertas,
quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori acci-
dere aut rebus externis; nam principio tollit convictum
humanum et societatem. si enim sic erimus adfecti, ut
propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet
alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est
22 secundum naturam, humani generis societatem. ut, si
unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse
putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se
traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse
esset, sic, si unus quisque nostrum ad se rapiat com-
moda aliorum detrahatque quod cuique possit emolu-
menti sui gratia, societas hominum et communitas ever-
tatur necesse est; nam sibi ut quisque malit quod ad
usum vitae pertineat quam alteri adquirere, concessum
est non repugnante natura: illud natura non patitur, ut
aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.
23 neque vero hoc solum natura, id est iure gentium, sed
etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus
res publica continetur, eodem modo constitutum est, ut
non liceat sui commodi causa nocere alteri. hoc enim
spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium con-
iunctionem, quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vin-
clis, damno coërcent. atque hoc multo magis efficit ipsa
naturae ratio, quae est lex divina et humana, cui parere
qui velit — omnes autem parebunt, qui secundum natu-
ram volent vivere — numquam committet ut alienum
24 adpetat et id, quod alteri detraxerit, sibi adsumat. et-
enim multo magis est secundum naturam excelsitas
animi et magnitudo itemque comitas, iustitia, liberalitas
quam voluptas, quam vita, quam divitiae; quae quidem
contemnere et pro nihilo ducere comparantem cum uti-
litate communi magni animi et excelsi est. [detrahere
autem de altero sui commodi causa magis est contra
naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis

eiusdem.] itemque magis est secundum naturam pro 25
omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut iuvan-
dis maximos labores molestiasque suscipere imitantem
Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum
memor in concilio caelestium conlocavit, quam vivere in
solitudine non modo sine ullis molestiis, sed etiam in
maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut
excellas etiam pulchritudine et viribus. quocirca optimo
quisque et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic
anteponit; ex quo efficitur hominem naturae oboedien-
tem homini nocere non posse. deinde qui alterum vio- 26
lat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil ex-
istimat se facere contra naturam aut magis fugienda
censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam
liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cui-
quam iniuriam. si nihil existimat contra naturam fieri
hominibus violandis, quid cum eo disseras, qui omnino
hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem
censet, sed multo illa peiora, mortem, paupertatem,
dolorem, errat in eo, quod ullum aut corporis aut fortu-
nae vitium vitiis animi gravius existumat. ergo unum 6
debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas
unius cuiusque et universorum, quam si ad se quis-
que rapiet, dissolvetur omnis humana consortio. atque 27
etiam, si hoc natura praescribit, ut homo homini, qui-
cumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit,
consultum velit, necesse est secundum eandem natu-
ram omnium utilitatem esse communem: quod si ita est,
una continemur omnes et eadem lege naturae, idque
ipsum si ita est, certe violare alterum naturae lege pro-
hibemur. verum autem primum: verum igitur extre-
mum. nam illud quidem absurdum est, quod quidam 28
dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos sui com-
modi causa, aliam rationem esse civium reliquorum: hi
sibi nihil iuris, nullam societatem communis utilitatis
causa statuunt esse cum civibus, quae sententia omnem
societatem distrahit civitatis. qui autem civium ratio-
nem dicunt habendam, externorum negant, ii dirimunt
communem humani generis societatem, qua sublata be-
neficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur;

quae qui tollunt etiam adversus deos inmortalis inpii
iudicandi sunt. ab iis enim constitutam inter homines
societatem evertunt, cuius societatis artissimum vincu-
lum est magis arbitrari esse contra naturam hominem
homini detrahere sui commodi causa quam omnia in-
commoda subire vel externa vel corporis * * vel etiam
ipsius animi, quae vacent iustitia; haec enim una virtus
29 omnium est domina et regina virtutum. forsitan quis-
piam dixerit: nonne igitur sapiens, si fame ipse conficia-
tur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili?
[minime vero; non enim mihi est vita mea utilior quam
animi talis adfectio, neminem ut violem commodi mei
gratia.] quid? si Phalarim, crudelem tyrannum et in-
manem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu
30 spoliare possit, nonne faciat? haec ad iudicandum sunt
facillima: nam, si quid ab homine ad nullam partem
utili utilitatis tuae causa detraxeris, inhumane feceris
contraque naturae legem; sin autem is tu sis, qui mul-
tam utilitatem rei publicae atque hominum societati, si
in vita remaneas, adferre possis, si quid ob eam causam
alteri detraxeris, non sit reprehendendum; sin autem id
non sit eius modi, suum cuique incommodum ferendum
est potius quam de alterius commodis detrahendum.
non igitur magis est contra naturam morbus aut egestas
aut quid eius modi quam detractio atque adpetitio alieni,
sed communis utilitatis derelictio contra naturam est;
31 est enim iniusta. itaque lex ipsa naturae, quae utili-
tatem hominum conservat et continet, decernet profecto
ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum,
fortem virum transferantur res ad vivendum necessariae,
qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxe-
rit, modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existi-
mans seseque diligens hanc causam habeat ad iniuriam.
ita semper officio fungetur utilitati consulens hominum
32 et ei, quam saepe commemoro, humanae societati. nam
quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium est; nulla
est enim societas nobis cum tyrannis et potius summa
distractio est, neque est contra naturam spoliare eum, si
possis, quem est honestum necare, atque hoc omne
genus pestiferum atque inpium ex hominum communi-

tate exterminandum est. etenim, ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine et tamquam spiritu carere coeperunt et nocent reliquis partibus corporis, sic ista in figura hominis feritas et inmanitas beluae a communi tamquam humanitatis corpore segreganda est. huius generis quaestiones sunt omnes eae, in quibus ex tempore officium exquiritur.

Eius modi igitur credo res Panaetium persecuturum 7 33
fuisse, nisi aliqui casus aut occupatio eius consilium peremisset; ad quas ipsas consultationes superioribus libris satis multa praecepta sunt, ex quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum, quid sit quod idcirco fugiendum non sit, quod omnino turpe non sit. sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium inponimus, ut geometrae solent non omnia docere, sed postulare ut quaedam sibi concedantur, quo facilius quae volunt explicent, sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil praeter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum; sin hoc non licet per Cratippum, at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxume propter se expetendum. mihi utrumvis satis est et tum hoc tum illud probabilius videtur nec praeterea quicquam probabile. ac primum in hoc Panaetius defendendus est, 34
quod non utilia cum honestis pugnare aliquando posse dixerit — neque enim ei fas erat —, sed ea, quae viderentur utilia; nihil vero utile, quod non idem honestum, nihil honestum, quod non idem utile sit, saepe testatur negatque ullam pestem maiorem in vitam hominum invasisse quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. itaque non, ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut eam sine errore diiudicaremus, si quando incidisset, induxit eam, quae videretur esse, non quae esset, repugnantiam. hanc igitur partem relictam explebimus nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro; neque enim quicquam est de hac parte post Panaetium explicatum, quod quidem mihi probaretur, de iis, quae in manus meas venerunt.

Cum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, com- 8 35
moveri necesse est; sed si, cum animum attenderis, tur-

pitudinem videas adiunctam ei rei, quae speciem utilitatis attulerit, tum non utilitas relinquenda est, sed intellegendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. quod si nihil est tam contra naturam quam turpitudo — recta enim et convenientia et constantia natura desiderat aspernaturque contraria — nihilque tam secundum naturam quam utilitas, certe in eadem re utilitas et turpitudo esse non potest. itemque, si ad honestatem nati sumus eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est, aut certe omni pondere gravior habenda quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet, necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum, quod autem bonum, id certe utile, ita,
36 quicquid honestum, id utile.] qua re error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, adripuit, id continuo secernit ab honesto. hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur, hinc furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum et civium, hinc opum nimiarum, potentiae non ferendae, postremo etiam in liberis civitatibus regnandi exsistunt cupiditates, quibus nihil nec taetrius nec foedius excogitari potest; emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis vident, poenam non dico legum, quam saepe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quae acerbissima est, non vident.
37 quam ob rem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio — est enim totum sceleratum et inpium —, qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientis scelere contaminent; in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non pervenerint. ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est; satis enim nobis, si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnis deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil iniuste,
9 38 nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores essent; quibus apertis

corpus hominis mortui vidit magnitudine invisitata anu-
lumque aureum in digito, quem ut detraxit, ipse induit
— erat autem regius pastor —, tum in concilium se
pastorum recepit. ibi cum palam eius anuli ad palmam
converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia vide-
bat; idem rursus videbatur, cum in locum anulum in-
verterat. itaque hac opportunitate anuli usus reginae
stuprum intulit eaque adiutrice regem dominum intere-
mit, sustulit quos obstare arbitrabatur, nec in his eum
facinoribus quisquam potuit videre: sic repente anuli
beneficio rex exortus est Lydiae. hunc igitur ipsum
anulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet
[peccare, quam si non haberet]; honesta enim bonis viris,
non occulta quaeruntur. atque hoc loco philosophi quidam, 39
minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam et
commenticiam fabulam prolatam dicunt a Platone, quasi
vero ille aut factum id esse aut fieri potuisse defen-
dat. haec est vis huius anuli et huius exempli: si nemo
sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid
divitiarum, potentiae, dominationis, libidinis causa fece-
ris, si id dis hominibusque futurum sit semper igno-
tum, sisne facturus? negant id fieri posse. nequaquam
potest id quidem, sed quaero, quod negant posse, id si
posset, quidnam facerent? urguent rustice sane; negant
enim posse et in eo perstant, hoc verbum quid valeat
non vident. cum enim quaerimus, si celare possint,
quid facturi sint, non quaerimus, possintne celare, sed
tamquam tormenta quaedam adhibemus, ut, si respon-
derint se inpunitate proposita facturos quod expediat,
facinorosos se esse fateantur, si negent, omnia turpia
per se ipsa fugienda esse concedant. sed iam ad propo-
situm revertamur.

Incidunt multae saepe causae, quae conturbent ani- 10
mos utilitatis specie, non, cum hoc deliberatur, relin- 40
quendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem
— nam id quidem inprobum est —, sed illud, possitne
id, quod utile videatur, fieri non turpiter. cum Colla-
tino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri
facere id iniuste; fuerat enim in regibus expellendis so-
cius Bruti consiliorum et adiutor: cum autem consi-

lium hoc principes cepissent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum et memoriam regni esse tollendam, quod erat utile, patriae consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. itaque utilitas valuit propter honestatem, sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. at in eo rege, qui urbem con-
41 didit, non item; species enim utilitatis animum pepulit eius: cui cum visum esset utilius solum quam cum altero regnare, fratrem interemit. omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod utile videbatur neque erat, adsequi posset, et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis nec probabilem nec sane idoneam: peccavit
42 igitur, pace vel Quirini vel Romuli dixerim. nec tamen nostrae nobis utilitates omittendae sunt aliisque tradendae, cum iis ipsi egeamus, sed suae cuique utilitati, quod sine alterius iniuria fiat, serviendum est. scite Chrysippus, ut multa, 'qui stadium' inquit 'currit, eniti et contendere debet quam maxume possit ut vincat, supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo modo debet: sic in vita sibi quemque petere quod pertineat ad usum non iniquum est, alteri deripere ius
43 non est.' maxume autem perturbantur officia in amicitiis, quibus et non tribuere quod recte possis et tribuere quod non sit aequum contra officium est. sed huius generis totius breve et non difficile praeceptum est: quae enim videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, cetera generis eiusdem, haec amicitiae numquam anteponenda sunt; at neque contra rem publicam neque contra ius iurandum ac fidem amici causa vir bonus faciet, ne si iudex quidem erit de ipso amico; ponit enim personam amici, cum induit iudicis. tantum dabit amicitiae, ut veram amici causam esse malit, ut orandae litis tempus, quoad per leges liceat, accom-
44 modet. cum vero iurato sententia dicenda erit, meminerit deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius. itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis, si eum teneremus, QVAE SALVA FIDE FACERE POSSIT. haec rogatio ad ea pertinet, quae paulo ante dixi honeste amico a iudice posse concedi; nam

si omnia facienda sint, quae amici velint, non amicitiae
tales, sed coniurationes putandae sint. loquor autem 45
de communibus amicitiis; nam in sapientibus viris per-
fectisque nihil potest esse tale. Damonem et Phintiam
Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum
eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destina-
visset et is, qui morti addictus esset, paucos dies com-
mendandorum suorum causa postulavisset, vas factus sit
alter eius sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum
esset ipsi: qui cum ad diem se recepisset, admiratus
eorum fidem tyrannus petivit ut se ad amicitiam tertium
ascriberent. cum igitur id, quod utile videtur in ami- 46
citia, cum eo, quod honestum est, comparatur, iaceat
utilitatis species, valeat honestas; cum autem in ami-
citia quae honesta non sunt postulabuntur, religio et
fides anteponatur amicitiae: sic habebitur is, quem ex-
quirimus, dilectus officii.

Sed utilitatis specie in re publica saepissime pecca- 11
tur, ut in Corinthi disturbatione nostri; durius etiam
Athenienses, qui sciverunt ut Aeginetis, qui classe vale-
bant, pollices praeciderentur. hoc visum est utile; nimis
enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeo.
sed nihil quod crudele utile; est enim hominum natu-
rae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas.
male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque 47
exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius
nuper. nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est
non licere, quam legem tulerunt sapientissimi consules
Crassus et Scaevola: usu vero urbis prohibere peregri-
nos sane inhumanum est. illa praeclara, in quibus
publicae utilitatis species prae honestate contemnitur.
plena exemplorum est nostra res publica cum saepe,
tum maxime bello Punico secundo, quae Cannensi cala-
mitate accepta maiores animos habuit quam umquam
rebus secundis: nulla timoris significatio, nulla mentio
pacis. tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis ob-
scuret. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo 48
possent sustinere statuerentque ut urbe relicta, coniugi-
bus et liberis Troezene depositis, navis conscenderent
libertatemque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum

quendam suadentem, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt; atqui ille utilitatem sequi videbatur, sed ea nulla erat repugnante honestate.
49 Themistocles post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in contione se habere consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus esse: postulavit ut aliquem populus daret, quicum communicaret; datus est Aristides. huic ille, classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. quod Aristides cum audisset, in contionem magna exspectatione venit dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles adferret, sed minime honestum. itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt. melius hi quam nos, qui piratas inmunis, socios vectigalis habemus.

12 Maneat ergo, quod turpe sit, id numquam esse utile, ne tum quidem, cum id, quod utile esse putes, adipiscare; hoc enim ipsum, utile putare quod turpe sit, calamitosum est.
50 sed incidunt, ut supra dixi, saepe causae, cum repugnare utilitas honestati videatur, ut animadvertendum sit, repugnetne plane an possit cum honestate coniungi. eius generis hae sunt quaestiones: si exempli gratia vir bonus Alexandrea Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame summaque annonae caritate, si idem sciat conpluris mercatores Alexandrea solvisse navisque in cursu frumento onustas petentis Rhodum viderit, dicturusne sit id Rhodiis an silentio suum quam plurimo vendituros? sapientem et bonum virum fingimus: de eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet, sed dubitet an turpe non sit.
51 in huius modi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno et gravi Stoico, aliud Antipatro, discipulo eius, homini acutissimo: Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret, Diogeni venditorem, quatenus iure civili constitutum sit, dicere vitia oportere, cetera sine insidiis agere et, quoniam vendat, velle quam optume

vendere. 'advexi, exposui, vendo meum non pluris quam ceteri, fortasse etiam minoris, cum maior est copia: cui fit iniuria?' exoritur Antipatri ratio ex altera 52
parte: 'quid ais? tu, cum hominibus consulere debeas et servire humanae societati eaque lege natus sis et ea habeas principia naturae, quibus parere et quae sequi debeas, ut utilitas tua communis sit utilitas vicissimque communis utilitas tua sit, celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiae?' respondebit Diogenes fortasse sic: 'aliud est celare, aliud tacere, neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quae natura deorum sit, qui sit finis bonorum, quae tibi plus prodessent cognita quam tritici vilitas. sed non, quicquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est.' 'immo vero necesse est, si 53
quidem meministi esse inter homines natura coniunctam societatem.' 'memini,' inquiet ille 'sed num ista societas talis est, ut nihil suum cuiusque sit? quod si ita est, ne vendundum quidem quicquam est, sed donandum.' vides in hac tota disceptatione non illud dici, 13
'quamvis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam,' sed ita expedire, ut turpe non sit, ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum. vendat aedis 54
vir bonus propter aliqua vitia, quae ipse norit, ceteri ignorent; pestilentes sint et habeantur salubres, [ignoretur in omnibus cubiculis adparere serpentis,] male materiatae, ruinosae, sed hoc praeter dominum nemo sciat: quaero, si haec emptoribus venditor non dixerit aedisque vendiderit pluris multo, quam se venditurum putarit, num id iniuste aut inprobe fecerit? 'ille vero', inquit Antipater. 'quid est enim aliud erranti viam non monstrare, quod Athenis exsecrationibus publicis sanctum est, si hoc non est, emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere? plus etiam est quam viam non monstrare; nam est scientem in errorem alterum inducere.' Diogenes contra: 'num te emere coëgit 55
qui ne hortatus quidem est? ille quod non placebat proscripsit, tu quod placebat emisti. quod si qui proscribunt villam bonam beneque aedificatam non existimantur fefellisse, etiam si illa nec bona est nec aedificata ratione, multo minus qui domum non laudarunt.

ubi enim iudicium emptoris est, ibi fraus venditoris quae
potest esse? sin autem dictum non omne praestandum
est, quod dictum non est, id praestandum putas? quid
vero est stultius quam venditorem eius rei, quam ven-
dat, vitia narrare? quid autem tam absurdum quam si
domini iussu ita praeco praedicet: domum pestilentem
56 vendo?' sic ergo in quibusdam causis dubiis ex altera
parte defenditur honestas, ex altera ita de utilitate dici-
tur, ut id, quod utile videatur, non modo facere hone-
stum sit, sed etiam non facere turpe. haec est illa, quae
videtur utilium fieri cum honestis saepe dissensio: quae
diiudicanda est; non enim, ut quaereremus, exposuimus,
57 sed ut explicaremus. non igitur videtur nec frumenta-
rius ille Rhodios nec hic aedium venditor celare emptores
debuisse; neque enim id est celare, quicquid reticeas,
sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa
velis eos, quorum intersit id scire. hoc autem celandi
genus quale sit et cuius hominis, quis non videt? certe
non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non
viri boni, versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, mali-
tiosi, callidi, veteratoris, vafri. haec tot et alia plura
nonne inutile est vitiorum subire nomina?

14 58 Quod si vituperandi qui reticuerunt, quid de iis
existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt?
C. Canius eques Romanus, nec infacetus et satis litte-
ratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat,
non negotiandi causa contulisset, dictitabat se hortulos
aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se ob-
lectare sine interpellatoribus posset. quod cum per-
crebruisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret
Syracusis, venalis quidem se hortos non habere, sed
licere uti Canio, si vellet, ut suis, et simul ad cenam
hominem in hortos invitavit in posterum diem. cum ille
promisisset, tum Pythius, qui esset ut argentarius apud
omnis ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit et
ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscaren-
tur, dixitque quid eos facere vellet. ad cenam temperi
venit Canius: opipare a Pythio adparatum convivium,
cumbarum ante oculos multitudo; pro se quisque quod
ceperat adferebat; ante pedes Pythii pisces abicieban-

tur. tum Canius 'quaeso,' inquit 'quid est hoc, Pythi? 59
tantumne piscium? tantumne cumbarum?' et ille 'quid mirum?' inquit 'hoc loco est Syracusis quicquid est piscium, hic aquatio; hac villa isti carere non possunt.' incensus Canius cupiditate contendit a Pythio ut venderet. gravate ille primo. quid multa? impetrat. emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos; nomina facit, negotium conficit. invitat Canius postridie familiaris suos, venit ipse mature, scalmum nullum videt. quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret? 'nullae, quod sciam,' inquit 'sed hic piscari nulli solent; itaque heri mirabar quid accidisset.' sto- 60
machari Canius, sed quid faceret? nondum enim C. Aquilius, collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas; in quibus ipsis, cum ex eo quaereretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum: hoc quidem sane luculente, ut ab homine perito definiendi. ergo et Pythius et omnes aliud agentes, aliud simulantes perfidi, inprobi, malitiosi: nullum igitur eorum factum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

Quod si Aquiliana definitio vera est, ex omni vita 15
simulatio dissimulatioque tollenda est. ita nec ut emat 61
melius nec ut vendat quicquam simulabit aut dissimulabit vir bonus. atqui iste dolus malus et legibus erat vindicatus, ut tutela duodecim tabulis, circumscriptio adulescentium lege Plaetoria, et sine lege iudiciis, in quibus additur EX FIDE BONA. reliquorum autem iudiciorum haec verba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriae MELIVS AEQVIVS, in fiducia VT INTER BONOS BENE AGIER. quid ergo? aut in eo, QVOD MELIVS AEQVIVS, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur INTER BONOS BENE AGIER, quicquam agi dolose aut malitiose potest? dolus autem malus in simulatione, ut ait Aquilius, continetur; tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. non inlicitatorem venditor, non qui contra se liceatur emptor adponet; uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur. Quintus quidem Scaevola, Publii filius, cum postu- 62

lasset ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicare-
tur idque venditor ita fecisset, dixit se pluris aestumare:
addidit centum milia. nemo est qui hoc viri boni fuisse
neget: sapientis negant, ut si minoris quam potuisset
vendidisset. haec igitur est illa pernicies, quod alios
bonos, alios sapientis existimant; ex quo Ennius 'nequi-
quam sapere sapientem, qui ipse sibi prodesse non
quiret.' vere id quidem, si, quid esset prodesse, mihi
63 cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium,
discipulum Panaetii, video in iis libris, quos de officio
scripsit Q. Tuberoni, dicere 'sapientis esse nihil contra
mores, leges, instituta facientem habere rationem rei
familiaris. neque enim solum nobis divites esse volu-
mus, sed liberis, propinquis, amicis maxumeque rei pu-
blicae; singulorum enim facultates et copiae divitiae
sunt civitatis.' huic Scaevolae factum, de quo paulo
ante dixi, placere nullo modo potest; etenim omnino
tantum se negat facturum compendii sui causa, quod
non liceat: huic nec laus magna tribuenda nec gratia est.
64 sed, sive et simulatio et dissimulatio dolus malus est, per-
paucae res sunt, in quibus non dolus malus iste versetur,
sive vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet ne-
mini, certe istum virum bonum non facile reperimus. num-
quam igitur est utile peccare, quia semper est turpe, et, quia
semper est honestum virum bonum esse, semper est utile.

16 65 Ac de iure quidem praediorum sanctum apud nos
est iure civili, ut in iis vendendis vitia dicerentur, quae
nota essent venditori. nam, cum ex duodecim tabulis
satis esset ea praestari, quae essent lingua nuncupata,
quae qui infitiatus esset dupli poenam subiret, a iuris
consultis etiam reticentiae poena est constituta; quic-
quid enim esset in praedio vitii, id statuerunt, si vendi-
tor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari opor-
66 tere. ut, cum in arce augurium augures acturi essent
iussissentque Ti. Claudium Centumalum, qui aedis in
Caelio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo offi-
ceret auspiciis, Claudius proscripsit insulam, emit P.
Calpurnius Lanarius: huic ab auguribus illud idem de-
nuntiatum est; itaque Calpurnius cum demolitus esset
cognossetque Claudium aedis postea proscripsisse, quam

esset ab auguribus demoliri iussus, arbitrum illum ade-
git, QVICQVID SIBI DARE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA.
M. Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis pater;
ut enim ceteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen pro-
genuit, ex filio est nominandus. is igitur iudex ita pro-
nuntiavit, cum in vendundo rem eam scisset et non pro-
nuntiasset, emptori damnum praestari oportere. ergo 67
ad fidem bonam statuit pertinere notum esse emptori
vitium, quod nosset venditor: quod si recte iudicavit,
non recte frumentarius ille, non recte aedium pestilen-
tium venditor tacuit. sed huius modi reticentiae iure
civili *omnes* conprehendi non possunt; quae autem pos-
sunt diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, pro-
pinquus noster, C. Sergio Oratae vendiderat aedis eas,
quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. eae ser-
viebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat: ad-
ducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidia-
num defendebat Antonius. ius Crassus urguebat, 'quod
vitii venditor non dixisset sciens, id oportere praestari,'
aequitatem Antonius, 'quoniam id vitium ignotum Sergio
non fuisset, qui illas aedis vendidisset, nihil fuisse ne-
cesse dici nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat,
quo iure esset teneret.' quorsus haec? ut illud intelle- 68
gas, non placuisse maioribus nostris astutos.

Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: 17
leges, quatenus manu tenere possunt, philosophi, qua-
tenus ratione et intellegentia. ratio ergo hoc postulat,
ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter.
suntne igitur insidiae tendere plagas, etiam si excitatu-
rus non sis nec agitaturus? ipsae enim ferae nullo inse-
quente saepe incidunt. sic tu aedis proscribas, tabulam
tamquam plagam ponas, [domum propter vitia vendas,]
in eam aliquis incurrat inprudens? hoc quamquam video 69
propter depravationem consuetudinis neque more turpe
haberi neque aut lege sanciri aut iure civili, tamen na-
turae lege sanctum est. societas est enim — quod, etsi
saepe dictum est, dicendum est tamen saepius — latis-
sime quidem quae pateat, omnium inter omnis, interior
eorum, qui eiusdem gentis sunt, propior eorum, qui
eiusdem civitatis. itaque maiores aliud ius gentium,

aliud ius civile esse voluerunt: quod civile, non idem continuo gentium, quod autem gentium, idem civile esse debet. sed nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus, umbra et imaginibus utimur. eas ipsas utinam sequeremur! feruntur
70 enim ex optimis naturae et veritatis exemplis. nam quanti verba illa VTI NE PROPTER TE FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDATVSVE SIM! quam illa aurea VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAVDATIONE! sed, qui sint 'boni' et quid sit 'bene agi,' magna quaestio est. Q. quidem Scaevola, pontifex maximus, summam vim esse dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur EX FIDE BONA, fideique bonae nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis societatibus, fiduciis mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vitae societas contineretur: in iis magni esse iudicis statuere, praesertim cum in plerisque essent iudicia con-
71 traria, quid quemque cuique praestare oporteret. quocirca astutiae tollendae sunt eaque malitia, quae volt illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea distatque plurimum; prudentia est enim locata in dilectu bonorum et malorum, malitia, si omnia, quae turpia sunt, mala sunt, mala bonis ponit ante. nec vero in praediis solum ius civile ductum a natura malitiam fraudemque vindicat, sed etiam in mancipiorum venditione venditoris fraus omnis excluditur; qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, praestat edicto
72 aedilium. heredum alia causa est. ex quo intellegitur, quoniam iuris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia. nec ulla pernicies vitae maior inveniri potest quam in malitia simulatio intellegentiae, ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. quotus enim quisque reperietur, qui inpunitate et ignoratione omnium proposita abstinere possit iniuria?

18
73 Periclitemur, si placet, et in iis quidem exemplis, in quibus peccari volgus hominum fortasse non putet; neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est, qui non verbis

sunt et disputatione philosophorum, sed vinclis et car-
cere fatigandi, sed haec consideremus, quae faciunt ii,
qui habentur boni. L. Minucii Basili locupletis homi-
nis falsum testamentum quidam e Graecia Romam attu-
lerunt; quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes
secum M. Crassum et Q. Hortensium, homines eiusdem
aetatis potentissimos: qui cum illud falsum esse suspi-
carentur, sibi autem nullius essent conscii culpae, alieni
facinoris munusculum non repudiaverunt. quid ergo?
satin est hoc, ut non deliquisse videantur? mihi quidem
non videtur, quamquam alterum vivum amavi, alterum
non odi mortuum. sed cum Basilus M. Satrium sororis 74
filium nomen suum ferre voluisset eumque fecisset here-
dem — hunc dico patronum agri Piceni et Sabini: o
turpem notam temporum nomen illorum! —, non erat
aequum principes civis rem habere, ad Satrium nihil
praeter nomen pervenire. etenim si is, qui non defen-
dit iniuriam neque propulsat, cum potest, iniuste facit,
ut in primo libro disserui, qualis habendus est is, qui
non modo non repellit, sed etiam adiuvat iniuriam?
mihi quidem etiam verae hereditates non honestae vi-
dentur, si sunt malitiosis blanditiis, officiorum non veri-
tate, sed simulatione quaesitae. atqui in talibus rebus
aliud utile interdum, aliud honestum videri solet: falso;
nam eadem utilitatis quae honestatis est regula. qui 75
hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum
facinus; sic enim cogitans, 'est istuc quidem honestum,
verum hoc expedit,' res a natura copulatas audebit er-
rore divellere, qui fons est fraudium, maleficiorum, sce-
lerum omnium. itaque si vir bonus habeat hanc vim, 19
ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testa-
menta nomen eius inrepere, hac vi non utatur, ne si
exploratum quidem habeat id omnino neminem umquam
suspicaturum: at dares hanc vim M. Crasso, ut digito-
rum percussione heres posset scriptus esse qui re vera
non esset heres, in foro, mihi crede, saltaret. homo
autem iustus isque, quem sentimus virum bonum, nihil
cuiquam, quod in se transferat, detrahet. hoc qui ad-
miratur, is se, quid sit vir bonus, nescire fateatur. at 76
vero, si qui voluerit animi sui conplicatam notionem

evolvere, iam se ipse doceat eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria. quid ergo? hic non noceat, qui quodam quasi veneno perficiat ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat? 'non igitur faciat' dixerit quis 'quod utile sit, quod expediat?' immo intellegat nihil nec expedire nec utile esse, quod sit iniustum: hoc qui
77 non didicerit, bonus vir esse non poterit. *C.* Fimbriam consularem audiebam de patre nostro puer iudicem M. Lutatio Pinthiae fuisse, equiti Romano sane honesto, cum is sponsionem fecisset NI VIR BONVS ESSET; itaque ei dixisse Fimbriam se illam rem numquam iudicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra iudicavisset, aut statuisse videretur virum bonum esse aliquem, cum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur. huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri potest quicquam esse utile, quod non honestum sit; itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat praedicare. haec non turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod iam contritum est vetustate, proverbium: cum enim fidem alicuius bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. hoc quam habet vim nisi illam, nihil expedire quod non deceat, etiam si id possis nullo refel-
78 lente obtinere? videsne hoc proverbio neque Gygi illi posse veniam dari neque huic, quem paulo ante fingebam digitorum percussione hereditates omnium posse converrere? ut enim, quod turpe est, id, quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest, sic, quod honestum non est, id utile ut sit effici non potest adversante et repugnante natura.

20 At enim, cum permagna praemia sunt, est causa
79 peccandi. C. Marius, cum a spe consulatus longe abesset et iam septimum annum post praeturam iaceret neque petiturus umquam consulatum videretur, Q. Metellum, cuius legatus erat, summum virum et civem, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, bellum illum ducere,

si se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut
mortuum Iugurtham se in potestatem populi Romani
redacturum; itaque factus est ille quidem consul, sed a
fide iustitiaque discessit, qui optimum et gravissimum
civem, cuius legatus et a quo missus esset, in invidiam
falso crimine adduxerit. ne noster quidem Gratidianus 80
officio viri boni functus est tum, cum praetor esset col-
legiumque praetorium tribuni plebi adhibuissent, ut res
nummaria de communi sententia constitueretur; iactaba-
tur enim temporibus illis nummus sic, ut nemo posset
scire, quid haberet. conscripserunt communiter edictum
cum poena atque iudicio constitueruntque ut omnes si-
mul in rostra post meridiem escenderent. et ceteri qui-
dem alius alio: Marius ab subselliis in rostra recta id-
que, quod communiter conpositum fuerat, solus edixit.
et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit: omnibus
vicis statuae, ad eas tus, cerei; quid multa? nemo um-
quam multitudini fuit carior. haec sunt, quae contur- 81
bent in deliberatione non numquam, cum id, in quo
violatur aequitas, non ita magnum, illud autem, quod
ex eo paritur, permagnum videtur, ut Mario praeripere
collegis et tribunis plebi popularem gratiam non ita
turpe, consulem ob eam rem fieri, quod sibi tum propo-
suerat, valde utile videbatur. sed omnium una regula
est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod
utile videtur, turpe ne sit, aut, si turpe est, ne videatur
esse utile. quid igitur? possumusne aut illum Marium
virum bonum iudicare aut hunc? explica atque excute
intellegentiam tuam, ut videas, quae sit in ea species
[forma] et notio viri boni. cadit ergo in virum bonum
mentiri emolumenti sui causa, criminari, praeripere, fal-
lere? nihil profecto minus. est ergo ulla res tanti aut 82
commodum ullum tam expetendum, ut viri boni et splen-
dorem et nomen amittas? quid est quod adferre tantum
utilitas ista, quae dicitur, possit, quantum auferre, si
boni viri nomen eripuerit, fidem iustitiamque detraxe-
rit? [quid enim interest, utrum ex homine se convertat
quis in beluam, an hominis figura inmanitatem gerat
beluae?]

Quid? qui omnia recta et honesta neglegunt, dum 21

modo potentiam consequantur, nonne idem faciunt quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cuius ipse audacia potens esset? utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia: id quam iniustum in patriam et quam turpe esset, non videbat. ipse autem socer in ore semper Graecos versus de Phoenissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intellegi:

> nam si violandum est ius, regnandi gratia
> violandum est: aliis rebus pietatem colas.

capitalis [Eteocles vel potius Euripides], qui id unum,
83 quod omnium sceleratissimum fuerit, exceperit. quid igitur minuta conligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupiverit idque perfecerit. hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est; probat enim legum et libertatis interitum earumque oppressionem taetram et detestabilem gloriosam putat. qui autem fatetur honestum non esse in ea civitate, quae libera fuerit quaeque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile, qua hunc obiurgatione aut quo potius convitio a tanto errore coner avellere? potest enim, di inmortales! cuiquam esse utile foedissimum et taeterrimum parricidium patriae, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus parens nominetur? honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut haec duo verbo inter se discrepare, re
84 unum sonare videantur. non habeo ad volgi opinionem quae maior utilitas quam regnandi esse possit, nihil contra inutilius ei, qui id iniuste consecutus sit, invenio, cum ad veritatem coepi revocare rationem. possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

> multi iniqui atque infideles regno, pauci beneuoli,

inquit Accius. at cui regno? quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur. nam quanto pluris ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Ro-

manum oppressisset civitatemque non modo liberam, sed
etiam gentibus imperantem servire sibi coëgisset? hunc 85
tu quas conscientiae labis in animo censes habuisse, quae volnera? cuius autem vita ipsi potest utilis esse, cum eius vitae ea condicio sit, ut qui illam eripuerit in maxima et gratia futurus sit et gloria? quod si haec utilia non sunt, quae maxime videntur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis, satis persuasum esse debet
nihil esse utile, quod non honestum sit. quamquam id 22
quidem cum saepe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabri- 86
cio consule iterum et a senatu nostro iudicatum est. cum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potenti, perfuga ab eo venit in castra Fabricii eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic [clam] in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum: hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum idque eius factum laudatum a senatu est. atqui, si speciem utilitatis opinionemque quaerimus, magnum illud bellum perfuga unus et gravem adversarium imperii sustulisset, sed magnum dedecus et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum
non virtute, sed scelere superatum. utrum igitur utilius 87
vel Fabricio, qui talis in hac urbe qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui numquam utilitatem a dignitate seiunxit, armis cum hoste certare an venenis? si gloriae causa imperium expetundum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria; sin ipsae opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles esse cum infamia. non igitur utilis illa L. Philippi Q. f. sententia: quas civitates L. Sulla pecunia accepta ex senatus consulto liberavisset, ut eae rursus vectigales essent, neque iis pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. ei senatus est adsensus: turpe imperio! piratarum enim melior fides quam senatus. 'at aucta vectigalia: utile igitur.' quousque audebunt dicere quicquam utile, quod
non honestum? potest autem ulli imperio, quod gloria 88
debet fultum esse et benevolentia sociorum, utile esse odium et infamia? ego etiam cum Catone meo saepe dissensi: nimis mihi praefracte videbatur aerarium vecti-

galiaque defendere, omnia publicanis negare, multa so-
ciis, cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic
agere, ut cum colonis nostris soleremus, eoque magis,
quod illa ordinum coniunctio ad salutem rei publicae
pertinebat. male etiam Curio, cum causam Transpada-
norum aequam esse dicebat, semper autem addebat
'vincat utilitas!' potius doceret non esse aequam, quia
non esset utilis rei publicae, quam cum non utilem dice-
ret, esse aequam fateretur.

23 89 Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium
quaestionum, sitne boni viri in maxima caritate annonae
familiam non alere: in utramque partem disputat, sed
tamen ad extremum utilitate, ut putat, officium dirigit
magis quam humanitate. quaerit, si in mari iactura
facienda sit, equine pretiosi potius iacturam faciat an
servoli vilis: hic alio res familiaris, alio ducit humani-
tas. 'si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extor-
quebitne eam sapiens, si potuerit?' negat, quia sit iniu-
rium. 'quid dominus navis? eripietne suum?' minime,
non plus quam navigantem in alto eicere de navi velit,
quia sua sit; quoad enim perventum est eo, quo sumpta
90 navis est, non domini est navis, sed navigantium. 'quid?
si una tabula sit, duo naufragi eique sapientes, sibine
uterque rapiat an alter cedat alteri?' cedat vero, sed ei,
cuius magis intersit vel sua vel rei publicae causa vi-
vere. 'quid? si haec paria in utroque?' nullum erit cer-
tamen, sed quasi sorte aut micando victus alteri cedet
alter. 'quid? si pater fana expilet, cuniculos agat ad
aerarium, indicetne id magistratibus filius?' nefas id
quidem est: quin etiam defendat patrem, si arguatur.
'non igitur patria praestat omnibus officiis?' immo vero,
sed ipsi patriae conducit pios habere civis in parentes.
'quid? si tyrannidem occupare, si patriam prodere co-
nabitur pater, silebitne filius?' immo vero obsecrabit
patrem, ne id faciat: si nihil proficiet, accusabit, mina-
bitur etiam; ad extremum, si ad perniciem patriae res
91 spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris. quae-
rit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit in-
prudens pro bonis, cum id rescierit, soluturusne sit eos,
si cui debeat, pro bonis: Diogenes ait, Antipater negat,

cui potius adsentior. 'qui vinum fugiens vendat sciens, debeatne dicere.' non necesse putat Diogenes, Antipater viri boni existimat. haec sunt quasi controversa iura Stoicorum. 'in mancipio vendundo dicendane vitia, non ea, quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium iure civili, sed haec, mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum.' alteri dicenda videntur, alteri non videntur. si 92
quis aurum vendens orichalcum se putet vendere, indicetne ei vir bonus aurum illud esse, an emat denario quod sit mille denarium.' perspicuum est iam et quid mihi videatur et quae sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

Pacta et promissa semperne servanda sint, QVAE NEC 24
VI NEC DOLO MALO, ut praetores solent, FACTA SINT. si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem pepigeritque, si eo medicamento sanus factus esset, ne illo medicamento umquam postea uteretur, si eo medicamento sanus factus sit et annis aliquot post inciderit in eundem morbum nec ab eo, quicum pepigerat, impetret ut iterum eo liceat uti, quid faciendum sit: cum sit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quicquam fiat iniuriae, vitae et saluti consulendum. quid? si qui sa- 93
piens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei testamento sestertium milies relinquatur, ut ante quam hereditatem adeat luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter heredem eum scripturus ille non esset, faciat quod promiserit necne? promisisset nollem et id arbitror fuisse gravitatis: quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit, quam si ceperit, nisi forte eam pecuniam in rei publicae magnum aliquod tempus contulerit, ut vel saltare, cum patriae consulturus sit, turpe non sit. ac ne illa quidem promissa servanda sunt, 25 94
quae non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaëthonti filio, ut redeamus ad fabulas, facturum se esse dixit quicquid optasset. optavit ut in currum patris tolleretur; sublatus est; atqui is ante quam constitit ictu fulminis deflagravit: quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum! [quid? quod Theseus exegit promissum a Neptuno? cui cum tris

optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippo-
lyti filii, cum is patri suspectus esset de noverca: quo
optato impetrato Theseus in maxumis fuit luctibus.]
95 quid? Agamemnon cum devovisset Dianae quod in suo
regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit
Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pul-
chrius: promissum potius non faciendum quam tam
taetrum facinus admittendum fuit. ergo et promissa
non facienda non numquam neque semper deposita red-
denda. si gladium quis apud te sana mente deposuerit,
repetat insaniens, reddere peccatum sit, officium non
reddere. quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit,
bellum inferat patriae, reddasne depositum? non credo;
facias enim contra rem publicam, quae debet esse caris-
sima. sic multa, quae honesta natura videntur esse,
temporibus fiunt non honesta. facere promissa, stare
conventis, reddere deposita commutata utilitate fiunt
non honesta.

Ac de iis quidem, quae videntur esse utilitates contra
iustitiam simulatione prudentiae, satis arbitror dictum.
96 sed quoniam a quattuor fontibus honestatis primo libro
officia duximus, in eisdem versemur, cum docebimus
ea, quae videantur esse utilia neque sint, quam sint
virtutis inimica. [ac de prudentia quidem, quam volt
imitari malitia, itemque de iustitia, quae semper est
utilis, disputatum est. reliquae sunt duae partes hone-
statis, quarum altera in animi excellentis magnitudine
et praestantia cernitur, altera in conformatione et mode-
26 97 ratione continentiae et temperantiae.] utile videbatur
Ulixi, ut quidem poëtae tragici prodiderunt — nam apud
Homerum optumum auctorem talis de Ulixe nulla su-
spitio est —, sed insimulant eum tragoediae simulatione
insaniae militiam subterfugere voluisse: non honestum
consilium. 'at utile [ut aliquis fortasse dixerit] regnare
et Ithacae vivere otiose cum parentibus, cum uxore,
cum filio: ullum tu decus in cotidianis laboribus et
periculis cum hac tranquillitate conferendum putas?'
ego vero istam contemnendam et abiciendam, quoniam
quae honesta non sit ne utilem quidem esse arbitror.
98 quid enim auditurum putas fuisse Ulixem, si in illa si-

mulatione perseveravisset? qui, cum maximas res gesserit in bello, tamen haec audiat ab Aiace:

> cuius ipse princeps iuris iurandi fuit,
> quod omnes scitis, solus neglexit fidem:
> furere adsimulare, ne coiret, institit.
> quod ni Palamedi perspicax prudentia
> istius percepset malitiosam audaciam,
> fide sacratae ius perpetuo falleret.

illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum 99
fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit quam deserere consentientem Graeciam ad bellum barbaris inferendum. sed omittamus et fabulas et externa: ad rem factam nostramque veniamus. M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset duce Xanthippo Lacedaemonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Karthaginem. is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit; quae erat talis: manere in patria, esse domui suae cum uxore, cum liberis, quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunae bellicae iudicantem tenere consularis dignitatis gradum. quis haec negat esse utilia? quem censes? magnitudo animi et fortitudo negat.
num locupletiores quaeris auctores? harum enim est 27 100
virtutum proprium nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit intolerandum putare. itaque quid fecit? in senatum venit, mandata exposuit, sententiam ne diceret recusavit, 'quam diu iure iurando hostium teneretur, non esse se senatorem.' atque illud etiam —, 'o stultum hominem' dixerit quispiam 'et repugnantem utilitati suae!' — reddi captivos negavit esse utile; illos enim adulescentis esse et bonos duces, se iam confectum senectute: cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Karthaginem rediit, neque eum caritas patriae retinuit nec suorum. neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed ius iurandum conservandum putabat. itaque tum, cum vigilando necabatur,

erat in meliore causa quam si domi senex captivus, per-
101 iurus consularis remansisset. 'at stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit.' quo modo stulte? etiamne, si rei publicae conducebat? potest autem, quod inutile rei publicae sit, id cuiquam
28 civi utile esse? pervertunt homines ea, quae sunt fundamenta naturae, cum utilitatem ab honestate seiungunt. omnes enim expetimus utilitatem ad eamque rapimur nec facere aliter ullo modo possumus. nam quis est qui utilia fugiat? aut quis potius qui ea non studiosissime persequatur? sed quia nusquam possumus nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima et summa habemus, utilitatis nomen non tam
102 splendidum quam necessarium ducimus. quid est igitur, dixerit quis, in iure iurando? num iratum timemus Iovem? at hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, nihil exhibere alteri, sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid et moliri volunt, numquam nec irasci deum nec nocere. quid autem iratus Iuppiter plus nocere potuisset quam nocuit sibi ipse Regulus? nulla igitur vis fuit religionis, quae tantam utilitatem perverteret. an ne turpiter faceret? primum 'minima de malis.' num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus? deinde illud etiam apud Accium,

— — — fregistin fidem?
neque dedi neque do infideli cuiquam

quamquam ab inpio rege dicitur, luculente tamen dici-
103 tur. addunt etiam, quem ad modum nos dicamus videri quaedam utilia quae non sint, sic se dicere videri quaedam honesta quae non sint, 'ut hoc ipsum videtur honestum conservandi iuris iurandi causa ad cruciatum revertisse, sed fit non honestum, quia quod per vim hostium esset actum ratum esse non debuit.' addunt etiam, quicquid valde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea non videretur. haec fere contra Regulum: sed
29 104 prima videamus. 'non fuit Iuppiter metuendus ne iratus noceret, qui neque irasci solet nec nocere.' haec

quidem ratio non magis contra Reguli, quam contra omne ius iurandum valet. sed in iure iurando non qui metus, sed quae vis sit debet intellegi: est enim ius iurandum adfirmatio religiosa; quod autem adfirmate quasi deo teste promiseris, id tenendum est. iam enim non ad iram deorum, quae nulla est, sed ad iustitiam et ad fidem pertinet; nam praeclare Ennius:

o Fides alma apta pinnis et ius iurandum Iovis!

qui ius igitur iurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iovis optimi maximi, ut in Catonis
oratione est, maiores nostri esse voluerunt. 'at enim ne 105
iratus quidem Iuppiter plus Regulo nocuisset quam sibi nocuit ipse Regulus.' certe, si nihil malum esset nisi dolere. id autem non modo [non] summum malum, sed ne malum quidem esse maxima auctoritate philosophi adfirmant; quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum Regulum nolite, quaeso, vituperare. quem enim locupletiorem quaerimus quam principem populi Romani, qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium? nam quod aiunt 'minima de malis,' id est ut turpiter potius quam calamitose, an est ullum maius malum turpitudine? quae si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio
et foeditas turpificati animi debet videri? itaque nervo- 106
sius qui ista disserunt solum audent malum dicere id, quod turpe sit, qui autem remissius, ii tamen non dubitant summum malum dicere. nam illud quidem,

neque dedi neque do infideli cuiquam,

idcirco recte a poëta, quia, cum tractaretur Atreus, personae serviendum fuit. sed si hoc sibi sument, nullam esse fidem, quae infideli data sit, videant ne quaeratur
latebra periurio. [est autem ius etiam bellicum fidesque 107
iuris iurandi saepe cum hoste servanda.] quod enim ita iuratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est; quod aliter, id si non fecerit, nullum est periurium. ut, si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. nam pirata non est ex perduellium nu-

mero [definitus], sed communis hostis omnium: cum hoc
108 nec fides debet nec ius iurandum esse commune. non
enim falsum iurare periurare est, sed, quod EX ANIMI TVI
SENTENTIA iuraris, sicut verbis concipitur more nostro, id
non facere periurium est; scite enim Euripides:

iuravi lingua, mentem iniuratam gero.

Regulus vero non debuit condiciones pactionesque bellicas et hostilis perturbare periurio; cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur, adversus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia. quod ni ita
esset, numquam claros viros senatus vinctos hostibus
30 109 dedidisset. at vero T. Veturius et Sp. Postumius, cum
iterum consules essent, quia, cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt iis; iniussu enim populi senatusque fecerant. eodemque tempore Ti. Numicius, Q. Maelius, qui tum tribuni pl. erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. atque huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. quod idem multis annis post C. Mancinus, qui ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius, Sex. Atilius ex senatus consulto ferebant; qua accepta est hostibus deditus. honestius hic quam Q. Pompeius, quo, cum in eadem causa esset, deprecante accepta lex non est: hic ea, quae videbatur utilitas, plus valuit quam honestas, apud superiores utilitatis species falsa ab ho-
110 nestatis auctoritate superata est. 'at non debuit ratum
esse, quod erat actum per vim.' quasi vero forti viro vis possit adhiberi. 'cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum praesertim de captivis dissuasurus esset?' quod maximum in eo est, id reprehenditis: non enim suo iudicio stetit, sed suscepit causam, ut esset iudicium senatus; cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Poenis redditi essent. ita incolumis in patria Regulus restitisset: quod quia patriae non utile putavit, idcirco sibi honestum et sentire illa et pati credidit. nam quod aiunt, quod valde utile sit, id fieri honestum, immo vero

esse, non fieri; est enim nihil utile, quod idem non honestum, nec, quia utile, honestum, sed, quia honestum, utile. qua re ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius aut praestantius. sed ex tota hac laude Reguli unum illud est ad- 31 111 miratione dignum, quod captivos retinendos censuit; nam quod rediit nobis nunc mirabile videtur, illis quidem temporibus aliter facere non potuit. itaque ista laus non est hominis, sed temporum; nullum enim vinculum ad astringendam fidem iure iurando maiores artius esse voluerunt. id indicant leges in duodecim tabulis, indicant sacratae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius quam de iure iurando iudicabant. L. Manlio, A. f., cum di- 112 ctator fuisset, M. Pomponius tribunus pl. diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset. quod cum audivisset adulescens filius negotium exhiberi patri, accurrisse Romam et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. cui cum esset nuntiatum, qui illum iratum adlaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adulescentem iussit venire. at ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit iuravitque se illum statim interfecturum, nisi ius iurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum: iuravit hoc terrore coactus Pomponius; rem ad populum detulit, docuit cur sibi causa desistere necesse esset, Manlium missum fecit: tantum temporibus illis ius iurandum valebat. [atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto cognomen invenit, cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati, magnus vir in primis et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium.]

Sed, ut laudandus Regulus in conservando iure iu- 32 113 rando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum erant potiti Poeni, nisi de redimendis capti-

vis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. de quibus non omnes uno modo. nam Polybius, bonus auctor in primis, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, *unum, qui* egressus e castris redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse. reditu enim in castra liberatum se esse iure iurando interpretabatur, non recte; fraus enim distringit, non dissolvit periurium. fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. itaque decrevit senatus ut ille veterator et callidus vinctus ad
114 Hannibalem duceretur. [sed illud maxumum. octo hominum milia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paulo et a Varrone consulibus. eos senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset, ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori. qua quidem re audita fractum animum Hannibalis scribit idem, quod senatus populusque Romanus rebus adflictis tam excelso animo fuisset. sic honestatis
115 comparatione ea, quae videntur utilia, vincuntur.] Acilius autem, qui Graece scripsit historiam, pluris ait fuisse, qui in castra revertissent eadem fraude, ut iure iurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos. sit iam huius loci finis; perspicuum est enim ea, quae timido animo, humili, demisso fractoque fiant, quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis quod ipsi opus esse videretur, non quod rei publicae, censuisset aut domi remanere voluisset, non esse utilia, quia sint flagitiosa, foeda, turpia.

33
116 Restat quarta pars, quae decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. potest igitur quicquam utile esse, quod sit huic talium virtutum choro contrarium? atqui ab Aristippo Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati omne bonum in voluptate posuerunt virtutemque censuerunt ob eam rem esse conlaudandam, quod efficiens esset voluptatis; quibus obsoletis floret Epicurus, eiusdem fere adiutor auctorque sententiae. cum his viris equisque, ut dicitur, si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum
117 est. nam si non modo utilitas, sed vita omnis beata corporis firma constitutione eiusque constitutionis spe

explorata, ut a Metrodoro scriptum est, continetur, certe haec utilitas et quidem summa — sic enim censent — cum honestate pugnabit. nam ubi primum prudentiae locus dabitur? an, ut conquirat undique suavitates? quam miser virtutis famulatus servientis voluptati! quod autem munus prudentiae? an legere intellegenter voluptates? fac nihil isto esse iucundius, quid cogitari potest turpius? iam, qui dolorem summum malum iudicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est dolorum laborumque contemptio? quamvis enim multis locis dicat Epicurus, sicuti dicit, satis fortiter de dolore, tamen non id spectandum est, quid dicat, sed, quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore: ut, si illum audiam de continentia et temperantia, dicit ille quidem multa multis locis, sed aqua haeret, ut aiunt. nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis. atque in his tamen tribus generi- 118
bus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. prudentiam introducunt scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores. fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem neglegendae mortis, perpetiendi doloris. etiam temperantiam inducunt non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt; dicunt enim voluptatis magnitudinem doloris detractione finiri. iustitia vacillat vel iacet potius omnesque eae virtutes, quae in communitate cernuntur et in societate generis humani; neque enim bonitas nec liberalitas nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si haec non per se expetantur, sed ad voluptatem utilitatemve referantur. conferamus igitur in pauca. nam 119
ut utilitatem nullam esse docuimus, quae honestati esset contraria, sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. quo magis reprehendendos Calliphontem et Dinomachum iudico, qui se diremturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem tamquam cum homine pecudem copulavissent: non recipit istam coniunctionem honestas, aspernatur, repellit; nec vero finis bonorum [et malorum], qui simplex esse debet, ex dissi-

millimis rebus misceri et temperari potest. sed de hoc — magna enim res est — alio loco pluribus: nunc ad
120 propositum. quem ad modum igitur, si quando ea, quae videtur utilitas, honestati repugnat, diiudicanda res sit, satis est supra disputatum; sin autem speciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate coniunctio; nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse non nihil, utilitatis certe nihil habebit.

121 Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum, sed perinde erit, ut acceperis. quamquam hi tibi tres libri inter Cratippi commentarios tamquam hospites erunt recipiendi, sed, ut, si ipse venissem Athenas, quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara voce patria revocasset, aliquando me quoque audires, sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox est mea, tribues iis temporis quantum poteris, poteris autem quantum voles. cum vero intellexero te hoc scientiae genere gaudere, tum et praesens tecum propediem, ut spero, et, dum aberis, absens loquar. vale igitur, mi Cicero, tibique persuade, esse te quidem mihi carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monitis praeceptisque laetabere.

M. TULLII CICERONIS PARADOXA STOICORUM AD M. BRUTUM.

ARGUMENTUM.

Hoc libello Cicero Catonis Uticensis, perfecti illius Stoici, admiratione adductus disciplinae Stoicae praecepta, quae homines ob severitatem admirabantur magis quam sequebantur, παράδοξα, quae Latini vocant 'admirabilia', orationis suae suavitate mollita probare populo et commendare sibi proposuit. Nam etsi in oratione pro L. Murena Catone accusante Stoicorum παράδοξα perstringit et in librorum de Finibus III. et IV. eorundem austeritati moderandum esse censet, tamen non tam doctrinae rationem illorum improbat quam sermonis insolentiam. Ac primo quidem loco bonum sola honestate contineri, deinde secundo tamquam consectario ostendit honestissimum quemque in se uno habere omnia bene beateque vivendi praesidia. Ex his autem locis cetera, quae deinceps persequitur, apta sunt et suspensa. Itaque tertius locus est de peccatorum aequalitate omnium. Quarti de stultorum insania loci pauca tantum verba supersunt; cetera exciderunt cum titulo et initio alius paradoxi (solum sapientem esse civem, omnes autem stultos esse exules), quo ad perstringendum Clodium usus est, quem non modo exulem, sed hostem, se ipsum semper civem fuisse demonstrat. Quinto loco, quo L. Lucullum atque etiam Hortensium videtur carpere, nisi sapientem libertate frui neminem docet, posse vero unum quemque ita vivere, ut velit, i. e. liberum esse, si modo honestatem sequatur. Denique sexto loco, quo M. Crassum divitem reprehendit, aerarii in consulatu secundo (a. u. c. 699.) expilati infamia notabilem, solum sapientem ait gaudere divitiis, ut quae cum in ceteris virtutibus tum maxime in continentia sint positae. Hoc autem brevium quaestionum, quod ad M. Brutum mittit, munusculum unius anni tempore, ut videtur, verno compositum esse e prooemii §. 5. apparet. Et quamquam Cicero Crassum a. u. c. 701. et Clodium a. 702. interfectos dialogi licentia sibi adesse potuit fingere, non tamen post mensem anni 708. Iunium, quo Cato mortem sibi Uticae conscivit, conditum hoc opusculum esse videtur.

---

1 Animadverti, Brute, saepe Catonem, avunculum
tuum, cum in senatu sententiam diceret, locos gravis ex
philosophia tractare abhorrentis ab hoc usu forensi et
publico, sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam po-
2 pulo probabilia viderentur; quod eo maius est illi quam
aut tibi aut nobis, quia nos ea philosophia plus utimur,
quae peperit dicendi copiam et in qua dicuntur ea, quae
non multum discrepent ab opinione populari, Cato au-
tem, perfectus mea sententia Stoicus, et ea sentit, quae
non sane probantur in volgus, et in ea est haeresi, quae
nullum sequitur florem orationis neque dilatat argumen-
tum: minutis interrogatiunculis quasi punctis quod pro-
3 posuit efficit. sed nihil est tam incredibile, quod non
dicendo fiat probabile, nihil tam horridum, tam incul-
tum, quod non splendescat oratione et tamquam excola-
tur. quod cum ita putarem, feci etiam audacius quam
ille ipse, de quo loquor: Cato enim dum taxat de magni-
tudine animi, de continentia, de morte, de omni laude
virtutis, de dis inmortalibus, de caritate patriae Stoice
solet oratoriis ornamentis adhibitis dicere; ego tibi illa
ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio Stoici probant,
4 ludens conieci in communis locos. quae quia sunt ad-
mirabilia contraque opinionem omnium [ab ipsis etiam
παράδοξα appellantur], temptare volui possentne pro-
ferri in lucem [id est in forum] et ita dici, ut probaren-
tur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio,
eoque hos locos scripsi libentius, quod mihi ista *παρά-
δοξα* quae appellant maxime videntur esse Socratica
5 longeque verissima. accipies igitur hoc parvum opus-
culum, lucubratum his iam contractioribus noctibus,
quoniam illud maiorum vigiliarum munus in tuo nomine
adparuit, et degustabis genus exercitationum earum,
quibus uti consuevi, cum ea, quae dicuntur in scholis
θετικῶς, ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi
genus. hoc tamen opus in acceptum ut referas nihil
postulo; non enim est tale, ut in arce poni possit, quasi
Minerva illa Phidiae, sed tamen, ut ex eadem officina
exisse adpareat.

PARADOXON I.

Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν.
Quod honestum sit id solum bonum

Vereor ne cui vestrum ex Socraticorum hominum 1 6
disputationibus, non ex meo sensu deprompta haec vide-
atur oratio; dicam quod sentio tamen et dicam brevius
quam res tanta dici potest. numquam hercule ego ne-
que pecunias istorum neque tecta magnifica neque opes
neque imperia neque eas, quibus maxime astricti sunt,
voluptates in bonis rebus aut expetendis esse duxi,
quippe cum viderem rebus his circumfluentis ea tamen
desiderare maxime, quibus abundarent; neque enim um-
quam expletur nec satiatur cupiditatis sitis, neque so-
lum ea qui habent libidine augendi cruciantur, sed etiam
amittendi metu. in quo equidem continentissimorum 7
hominum, maiorum nostrorum, saepe requiro pruden-
tiam, qui haec inbecilla et conmutabilia [pecuniae mem-
bra] verbo 'bona' putaverunt appellanda, cum re ac
factis longe aliter iudicavissent. potestne bonum cui-
quam malo esse aut potest quisquam in abundantia bo-
norum ipse esse non bonus? atqui ista omnia talia vide-
mus, ut et inprobi habeant et absint probis. quam ob 8
rem licet inrideat si qui volt, plus apud me tamen vera
ratio valebit quam volgi opinio; neque ego umquam
bona perdidisse dicam, si quis pecus aut supellectilem
amiserit, nec non saepe laudabo sapientem illum, Bian-
tem, ut opinor, qui numeratur in septem: cuius cum
patriam Prienam cepisset hostis ceterique ita fugerent,
ut multa de suis rebus asportarent, cum esset admonitus
a quodam ut idem ipse faceret, 'ego vero' inquit 'facio;
nam omnia mecum porto mea.' ille haec ludibria for- 9
tunae ne sua quidem putavit, quae nos appellamus etiam
bona. quid est igitur, quaeret aliquis, bonum? si, quod
recte fit et honeste et cum virtute, id bene fieri vere
dicitur, quod rectum et honestum et cum virtute est, id
solum opinor bonum. sed haec videri possunt odiosiora, 2 10
cum lentius disputantur: vita atque factis inlustrata sunt
summorum virorum [haec quae verbis subtilius quam
satis est, disputari videntur]; quaero enim a vobis, num
ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc rem

publicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut argenti ad avaritiam aut amoenitatum ad delectationem aut supellectilis ad delicias aut epularum ad voluptates?
11 ponite ante oculos unum quemque [regum]. voltis a Romulo? voltis post liberam civitatem ab iis ipsis, qui liberaverunt? quibus tandem Romulus gradibus escendit in caelum? iisne, quae isti bona appellant, an rebus gestis atque virtutibus? quid? a Numa Pompilio minusne gratas dis inmortalibus capudines ac fictilis urnulas fuisse quam felicatas Saliorum pateras arbitramur? omitto reliquos; sunt enim omnes pares inter se praeter
12 Superbum. Brutum si qui roget, quid egerit in patria liberanda, si quis item reliquos eiusdem consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis exsistat, cui voluptas, cui divitiae, cui denique praeter officium fortis et magni viri quicquam aliud propositum fuisse videatur? quae res ad necem Porsennae C. Mucium inpulit sine ulla spe salutis suae? quae vis Coclitem contra omnis hostium copias tenuit in ponte solum? quae patrem Decium, quae filium devota vita inmisit in armatas hostium copias? quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M'. Curii sequebatur? quid duo propugnacula belli Punici, Cn. et P. Scipiones, qui Karthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? quid Africanus maior? quid minor? quid inter horum aetates interiectus Cato? quid innumerabiles alii? — nam domesticis exemplis abundamus —: cogitassene quicquam in vita sibi esse expetendum nisi
3 13 quod laudabile esse et praeclarum videretur? veniant igitur isti inrisores huius orationis ac sententiae, et iam vel ipsi iudicent, utrum se horum alicuius, qui marmoreis tectis ebore et auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil habuit eorum,
14 nihil habere voluit, similis malint? atque haec quidem, quae modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent ut in bonis rebus esse negent; illud arte tenent accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum: quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. tu, cum tibi sive deus sive mater, ut ita

dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil
est praestantius neque divinius, sic te ipse abicies atque
prosternes, ut nihil inter te atque inter quadripedem ali-
quam putes interesse? quicquam bonum est, quod non
eum, qui id possidet, meliorem facit? ut enim est quis- 15
que maxime boni particeps, ita est laudabilis maxime,
neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat,
honeste possit gloriari. quid autem est horum in vo-
luptate? melioremne efficit aut laudabiliorem virum? an
quisquam in potiendis voluptatibus gloriando se et prae-
dicatione effert? atqui si voluptas, quae plurimorum pa-
trociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est,
eaque quo est maior, eo magis mentem ex sua sede et
statu demovet, profecto nihil est aliud bene et beate
vivere nisi honeste et recte vivere.

PARADOXON II.

Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

[In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum.]

Nec vero ego M. Regulum aerumnosum nec infeli- 16
cem nec miserum umquam putavi; non enim magnitudo
animi cruciabatur eius a Poenis, non gravitas, non fides,
non constantia, non ulla virtus, non denique animus
ipse, qui tot virtutum praesidio tantoque comitatu, cum
corpus eius caperetur, capi certe ipse non potuit. C.
vero Marium vidimus, qui mihi secundis rebus unus ex
fortunatis hominibus, adversis unus ex summis viris
videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest. nescis, 17
insane, nescis, quantas viris virtus habeat; nomen tan-
tum virtutis usurpas, quid ipsa valeat ignoras: nemo
potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese
quique in se uno sua ponit omnia. cui spes omnis et
ratio et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest
esse certi, nihil quod exploratum habeat permansurum
sibi unum diem; eum tu hominem terreto, si quem eris
nanctus, istis mortis aut exsilii minis: mihi vero quic-
quid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti qui-
dem evenerit, non modo [non] repugnanti. quid enim

ego laboravi aut quid egi aut in quo evigilarunt curae et cogitationes meae, si quidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, ut eo statu essem, quem neque fortunae temeritas neque inimicorum labefactaret iniuria?
18 mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus, an exsilium, ut ab inprobis demigrandum sit? mors terribilis iis, quorum cum vita omnia exstinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest; exsilium autem illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non iis, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. te miseriae, te aerumnae premunt omnes, qui te beatum, qui florentem putas; te lubidines torquent; tu dies noctisque cruciaris, cui nec sat est quod est et id ipsum ne non diuturnum sit futurum times; te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum; te metus exanimant iudiciorum atque legum; quocumque adspexisti, ut furiae sic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te suspirare libere non
19 sinunt. quam ob rem ut inprobo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus vir et sapiens et fortis miser esse nemo potest; nec vero, cuius virtus moresque laudandi sunt, eius non laudanda vita est, neque porro fugienda vita est quae laudanda est, esset autem fugienda, si esset misera. quam ob rem quicquid est laudabile, idem et beatum et florens et expetendum videri decet.

PARADOXON III.

Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα.

1
20 'Parva' inquit 'est res.' at magna culpa; nec enim peccata rerum eventis, sed vitiis hominum metienda sunt: in quo peccatur, id potest aliud alio maius esse aut minus, ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum est. auri navem evertat gubernator an paleae, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. lapsa est lubido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine; peccavit vero nihilo minus, si quidem est peccare tamquam transire lineas, quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare, cum semel trans-

ieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. peccare certe licet nemini; quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere: id si nec maius nec minus umquam fieri potest, quoniam in eo est peccatum, si non licuit, quod semper unum et idem est, quae ex eo peccata nascuntur aequalia sint oportet. quod si vir- 21
tutes sunt pares inter se, paria esse etiam vitia necesse est: atqui paris esse virtutes nec bono viro meliorem nec temperante temperantiorem nec forti fortiorem nec sapienti sapientiorem posse fieri, facillume potest perspici. an virum bonum dices, qui depositum nullo teste, cum lucrari inpune posset auri pondo decem, reddiderit, si idem in decem milibus non idem fecerit? aut temperantem, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? una virtus est consentiens cum ratione et per- 22
petua constantia; nihil huc addi potest, quo magis virtus sit, nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur: etenim si bene facta recte facta sunt et nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quicquam inveniri potest. sequitur igitur ut etiam vitia sint paria, si quidem pravitates animi recte vitia dicuntur. atqui quoniam pares virtutes sunt, recte facta, quoniam a virtutibus proficiscuntur, paria esse debent, itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint aequalia necesse est. 'a philosophis' 23
inquit 'ista sumis.' metuebam ne a lenonibus diceres. 'Socrates disputabat isto modo.' bene hercule narras; nam istum doctum et sapientem virum fuisse memoriae traditum est. sed tamen quaero ex te, quoniam verbis inter nos contendimus, non pugnis: utrum nobis est quaerendum quid baioli atque operarii an quid homines doctissimi senserint? praesertim cum hac sententia non modo verior, sed ne utilior quidem hominum vitae reperiri ulla possit. quae vis est enim quae magis arceat homines ab inprobitate omni, quam si senserint nullum in delictis esse discrimen? aeque peccare se, si privatis ac si magistratibus manus adferant? quamcumque in domum stuprum intulerint, eandem esse labem lubidi-
nis? 'nihilne igitur interest' — nam hoc dicet aliquis — 24
'patrem quis necet anne servum?' nuda ista si ponas, iudicare qualia sint non facile possim. patrem vita pri-

vare si per se scelus est, Saguntini, qui parentes suos liberos emori quam servos vivere maluerunt, parricidae fuerunt: ergo et parenti non numquam adimi vita sine scelere potest et servo saepe sine iniuria non potest. causa igitur haec, non natura distinguit, quae quoniam utro accessit, id fit propensius, si utroque adiuncta est,
25 paria fiant necesse est. illud tamen interest, quod in servo necando, si id fit iniuria, semel peccatur, in patris vita violanda multa peccantur: violatur is qui procreavit, is qui aluit, is qui erudivit, is qui in sede ac domo atque in re publica conlocavit; multitudine peccatorum praestat eoque poena maiore dignus est. sed nos in vita non quae cuique peccato poena sit, sed quantum cuique liceat spectare debemus: quicquid non oportet scelus esse, quicquid non licet nefas putare debemus. etiamne in minimis rebus? etiam, si quidem rerum modum figere non possumus, animorum modum tenere
26 possumus. histrio si paulum se movit extra numerum aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur, exploditur: in vita tu, quae omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debet, in syllaba te peccasse dices? poëtam non audio in nugis: in vitae societate audiam civem digitis peccata dimetientem sua? si vis, sane sint breviora, leviora qui possunt videri? cum quicquid peccatur perturbatione peccetur rationis atque ordinis, perturbata autem semel ratione et ordine nihil possit addi, quo magis peccari posse videatur.

PARADOXON IV

Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.
[Omnis stultos insanire.]

1 27 Ego vero te non stultum, ut saepe, non inprobum, ut semper, sed dementem * * *

* * * rebus ad victum necessariis esse invictus * * potest. sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunae, virtutibus denique omnibus ut moenibus saeptus vincetur et expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli potest? quae

est enim civitas? omnisne conventus etiam ferorum et
inmanium? omnisne etiam fugitivorum ac latronum con-
gregata unum in locum multitudo? certe negabis. non
igitur erat illa tum civitas, cum leges in ea nihil vale-
bant, cum iudicia iacebant, cum mos patrius occiderat,
cum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in re pu-
blica non erat; praedonum ille concursus et te duce
latrocinium in foro constitutum et reliquiae coniurationis
a Catilinae furiis ad tuum scelus furoremque conversae
non civitas erat. itaque pulsus ego civitate non sum, 28
quae nulla erat: accersitus in civitatem sum, cum esset
in re publica consul, qui tum nullus fuerat, esset sena-
tus, qui tum occiderat, esset consensus populi liber,
esset iuris et aequitatis, quae vincla sunt civitatis, repe-
tita memoria. ac vide quam ista tui latrocinii tela con-
tempserim: iactam et inmissam a te nefariam in me
iniuriam semper duxi; pervenisse ad me numquam pu-
tavi, nisi forte, cum parietes disturbabas aut cum tectis
sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere aut
deflagrare arbitrabare: nihil neque meum est neque 29
cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest.
si mihi eripuisses divinam animi mei conscientiam, meis
curis, vigiliis, consiliis stare te invitissimo rem publi-
cam, si huius aeterni beneficii inmortalem memoriam
delevisses, multo etiam magis, si illam mentem, unde
haec consilia manarunt, mihi eripuisses, tum ego acce-
pisse me confiterer iniuriam; sed si haec nec fecisti nec
facere potuisti, reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit,
non exitum calamitosum. ergo ego semper civis, et tum
maxime, cum meam salutem senatus exteris nationibus,
ut civis optumi, commendabat, tu ne nunc quidem, nisi
forte idem hostis esse et civis potest. an tu civem ab
hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis?
caedem in foro fecisti, armatis latronibus templa te- 2
nuisti, privatorum domos, aedis sacras incendisti: cur 30
hostis Spartacus, si tu civis? potes autem esse tu civis,
propter quem aliquando civitas non fuit? et me tuo no-
mine appellas, cum omnes meo discessu exsulasse rem
publicam putent? numquamne, homo amentissime, te
circumspicies? numquam nec quid facias considerabis

nec quid loquare? nescis exsilium scelerum esse poe-
nam, meum illud iter ob praeclarissimas res a me gestas
31 esse susceptum? omnes scelerati atque inpii, quorum tu
te ducem esse profiteris, quos leges exsilio adfici volunt,
exsules sunt, etiam si solum non mutarunt. an cum
omnes te leges exsulem esse iubeant, *non eris tu exsul?*
exsul non appelletur is, qui cum telo fuerit? ante sena-
tum tua sica deprehensa est. qui hominem occiderit?
plurimos occidisti. qui incendium fecerit? aedes Nym-
pharum manu tua deflagravit. qui templa occupaverit?
32 in foro castra posuisti. sed quid ego communis leges
profero, quibus omnibus es exsul? familiarissimus tuus
de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonae Deae
accessisses, exsulares: at te id fecisse etiam gloriari
soles. quo modo igitur tot legibus eiectus in exsilium
nomen exsulis non perhorrescis? 'Romae sum' inquit.
et quidem in operto fuisti. non igitur ubi quisque
erit, eius loci ius tenebit, si ibi eum legibus esse non
oportebit.

PARADOXON V.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.

[Omnis sapientis liberos esse et stultos omnis servos.]

1 33 Laudetur vero hic imperator aut etiam appelletur aut hoc nomine dignus putetur. quo modo aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, ceteras animi labis repellat; tum incipiat aliis imperare, cum ipse inprobissimis dominis, dedecori ac turpitudini, parere desierit: dum quidem iis oboediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit. praeclare enim est hoc usurpatum a doctissimis — quorum ego auctoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestis haec habenda esset oratio; cum vero apud prudentissimos loquar, quibus haec inaudita non sint, cur ego simulem me, si quid in his studiis operae posuerim, perdidisse?

— dictum est igitur ab eruditissimis viris nisi sapientem liberum esse neminem. quid est enim libertas? potestas 34
vivendi, ut velis. quis igitur vivit, ut volt, nisi qui recte vivit, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est? qui ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur et colit, quod id salutare esse maxime iudicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi lubenter ac libere; cuius omnia consilia resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur eodemque *re*feruntur, nec est ulla res, quae plus apud eum polleat quam ipsius voluntas atque iudicium; cui quidem etiam, quae vim habere maximam dicitur, Fortuna ipsa cedit, si, ut sapiens poëta dixit, 'suis ea cuique fingitur moribus.' soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. quod etsi ita esse 35
pluribus verbis disserendum est, illud tamen et breve et confitendum est, nisi qui ita sit adfectus, esse liberum neminem. servi igitur omnes inprobi; nec hoc tam re est quam dictu inopinatum atque mirabile: non enim ita dicunt eos esse servos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexo aut aliquo iure civili, sed, si servitus sit, sicut est, oboedientia fracti animi et abiecti et arbitrio carentis suo, quis neget omnis levis, omnis cupidos, omnis denique inprobos esse servos? an ille mihi liber, 2 36
cui mulier imperat? cui leges inponit, praescribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit, dandum est; vocat, veniendum; eicit, abeundum; minatur, extimescendum. ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto. atque in pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. 'at sumus' inquit 'principes civitatis.' vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis; sed ut in magna 37
familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, ut atrienses, at qui tractant ista, qui tergent, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent, sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius servi-

tutis locum paene infimum obtinent. 'magna' inquit 'bella gessi, magnis imperiis et provinciis praefui.' gere igitur animum laude dignum: Aëtionis tabula te stupidum detinet aut signum aliquod Polycleti; mitto unde sustuleris, quo modo habeas: intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum video, servum esse ineptiarum omnium iudico. 'nonne igitur sunt illa festiva?' sunt; nam nos quoque oculos eruditos habemus. sed, obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincla virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum civem excellentem an atriensem diligentem putaret? revivescat M'. Curius aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit praeter ipsos, et videat aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mullos exceptantem de piscina et pertractantem et murenarum copia gloriantem, nonne hunc hominem ita servum iudicet, ut ne in familia quidem dignum maiore aliquo negotio putet? an eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam condicionem recusant durissimae servitutis? hereditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non observat? loquitur ad voluntatem, quicquid denuntiatum est facit, adsectatur, adsidet, muneratur. quid horum
3 est liberi? quid denique servi non inertis? quid? iam illa cupiditas, quae videtur esse liberalior, honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens! Cethego, homini non probatissimo, servire coëgit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur, munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. quae servitus est, si haec libertas existimari potest? quid? cum cupiditatis dominatus excessit et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor, quam est illa misera, quam dura servitus? adulescentibus paulo loquacioribus est serviendum; omnes, qui aliquid scire videntur, tamquam domini timentur; iudex vero quantum habet dominatum, quo timore nocentis adficit! an non est omnis metus ser-

vitus? quid valet igitur illa eloquentissimi viri, L. Crassi, 41 copiosa magis quam sapiens oratio 'eripite nos ex servitute'? quae est ista servitus tam claro homini tamque nobili? omnis animi debilitati et humilis et fracti timiditas servitus est. 'nolite sinere nos cuiquam servire.' in libertatem vindicari volt? minime; quid enim adiungit? 'nisi vobis universis.' dominum mutare, non liber esse volt. 'quibus et possumus et debemus.' nos vero, si quidem animo excelso et alto et virtutibus exaggerato sumus, nec debemus nec possumus: tu posse te dicito, quoniam quidem potes, debere ne dixeris, quoniam nihil quisquam debet nisi quod est turpe non reddere. sed haec hactenus. ille videat, quo modo imperator esse possit, cum eum ne liberum quidem esse ratio et veritas ipsa convincat.

PARADOXON VI.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.
[Quod solus sapiens dives.]

Quae est ista in commemoranda pecunia tua tam in- 1 42
solens ostentatio? solusne tu dives? pro di inmortales! egone me audisse aliquid et didicisse non gaudeam? solusne dives? quid, si ne dives quidem? quid, si pauper etiam? quem enim intellegimus divitem aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta possessio sit, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit, qui nihil quaerat, nihil adpetat, nihil optet amplius.
animus oportet tuus se iudicet divitem, non hominum 43
sermo, neque possessiones tuae. nihil sibi deesse putat, nihil curat amplius, satiatus est aut contentus etiam pecunia: concedo, dives est. sin autem propter aviditatem pecuniae nullum quaestum turpem putas, cum isti ordini ne honestus quidem possit esse ullus; si cotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, aerarium expilas, si testamenta amicorum *ne* exspectas quidem atque ipse supponis, haec utrum abundantis an egentis signa sunt? animus hominis dives, non 44
arca appellari solet. quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo; etenim ex eo, quan-

tum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum. filiam quis habet, pecunia est opus; duas, maiore; pluris, maiore etiam; si, ut aiunt Danao, quinquaginta sint filiae, tot dotes magnam quaerunt pecuniam: quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. qui igitur non filias pluris, sed innumerabilis cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaurire possint, hunc quo modo ego
45 appellabo divitem, cum ipse egere se sentiat? multi ex te audierunt cum diceres, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus, quod populus Romanus tantis vectigalibus iam pridem vix potest: ergo hoc proposito numquam eris dives ante, quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficietur, ut eo tueri sex legiones et magna equitum ac peditum auxilia possis. iam fateris igitur non esse te divitem, cui tantum desit, ut expleas id quod exoptas. itaque istam paupertatem vel potius egestatem ac mendicitatem tuam numquam
2 46 obscure tulisti. nam ut iis, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intellegimus opus esse quaesito, sic, qui videt domi tuae pariter accusatorum atque indicum consociatos greges, qui nocentis et pecuniosos reos eodem te actore corruptelam iudicii molientis, qui tuas mercedum pactiones in patrociniis, † intercidas pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimissiones libertorum ad defaenerandas diripiendasque provincias, qui expulsiones vicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum servis, cum libertis, cum clientibus societates, qui possessiones vacuas, qui proscriptiones locupletium, qui cladis municipiorum, qui illam Sullani temporis messem recordetur, qui testamenta subiecta, tot qui sublatos homines, qui denique omnia venalia, edictum, decretum, alienam suam sententiam, forum, domum, vocem, silentium: quis hunc non putet confiteri sibi quaesito opus esse? cui quaesito autem opus sit, quis umquam hunc vere dixerit divitem?
47 etenim divitiarum est fructus in copia, copiam autem declarat satietas rerum atque abundantia: quam tu quoniam numquam adsequere, numquam omnino es dives futurus. meam autem quoniam pecuniam contemnis, et

recte — est enim ad volgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica —, de me silebo, de re loquar.
si censenda nobis sit atque aestimanda res, utrum tan- 48
dem pluris aestimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitium an responsum M'. Curii? hereditatem L. Pauli an liberalitatem Africani, qui eius hereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit? haec profecto, quae sunt summarum virtutum, pluris aestimanda sunt quam illa, quae sunt pecuniae. quis igitur, si quidem, ut quisque quod plurimi est possidet, ita divitissimus habendus est, dubitet quin in virtute divitiae sint? quoniam nulla possessio, nulla vis
auri et argenti pluris quam virtus aestimanda est. o di 3 49
immortales! non intellegunt homines quam magnum vectigal sit parsimonia. venio enim iam ad sumptuosos, relinquo istum quaestuosum. capit ille ex suis praediis sescena sestertia, ego centena ex meis; illi aurata tecta in villis et sola marmorea facienti et signa, tabulas, supellectilem et vestem infinite concupiscenti non modo ad sumptum ille est fructus, sed etiam ad faenus exiguus: ex meo tenui vectigali detractis sumptibus cupiditatis aliquid etiam redundabit. uter igitur est divitior, cui deest an cui superat? qui eget an qui abundat? cuius possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuendam,
an quae suis se viribus sustinet? sed quid ego de me 50
loquor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse fortasse in huius saeculi errore verser? M'. Manilius patrum nostrorum memoria, ne semper Curios et Luscinos loquamur, pauper tandem fuit? habuit enim aediculas in Carinis et fundum in Labicano. nos igitur divitiores, qui plura habemus? utinam quidem! sed non aestimatione census, verum victu atque cultu terminatur
pecuniae modus. non esse cupidum pecunia est, non esse 51
emacem vectigal est: contentum vero suis rebus esse maximae sunt certissimaeque divitiae. etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest, quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi nec subripi potest, neque naufragio neque incendio

amittitur, nec tempestatum nec temporum perturbatione
52 mutatur! qua praediti qui sunt, soli sunt divites. soli
enim possident res et fructuosas et sempiternas solique,
quod est proprium divitiarum, contenti sunt rebus suis,
satis esse putant quod est, nihil adpetunt, nulla re egent,
nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt: inprobi autem
et avari, quoniam incertas atque in casu positas posses-
siones habent et plus semper adpetunt nec eorum quis-
quam adhuc inventus est, cui quod haberet esset satis,
non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac
pauperes existimandi sunt.

M. TULLII CICERONIS TIMAEUS.

Multa sunt a nobis et in Academicis conscripta 1
contra physicos et saepe *cum* P. Nigidio Carneadeo more et modo disputata: fuit enim vir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur; denique sic iudico, post illos nobilis Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodam modo, cum aliquot saecla in Italia Siciliaque viguisset, hunc exstitisse, qui illam renovaret. qui cum me in Ciliciam proficiscentem Ephesi exspectavisset, Romam ex legatione ipse decedens, venissetque eodem Mytilenis mei salutandi et visendi causa Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audierim, meo iudicio facile princeps, perlibenter et Nigidium vidi et cognovi Cratippum. ac primum quidem tempus salutationis in percontatione consumpsimus.

* * *

Quid est quod semper sit neque ullum habeat ortum, 2
et quod gignatur nec umquam sit? quorum alterum intellegentia et ratione conprehenditur, quod unum atque idem semper est; alterum, quod adfert opinionem sensus rationis expers, quod totum opinabile est, id gignitur et interit nec umquam esse vere potest. omne autem, quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est; nullius enim rei causa remota reperiri origo potest. quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quae semper eadem est, intuebitur atque id sibi proponet exemplar, praeclarum opus efficiat necesse est; sin autem eam, quae gignitur, numquam illam, quam expetet, pulchritudinem consequetur. omne igitur caelum — sive mundus sive quo alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit —: de quo id primum consideremus, quod

principio est in omni quaestione considerandum, semperne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo temporis principatu. ortus est, quando quidem cernitur et tangitur et est undique corporatus; omnia autem talia sensum movent, sensusque moventia quae sunt, eadem in opinatione considunt, quae ortum habere gignique diximus, nihil autem gigni posse sine causis. atque illum quidem quasi parentem huius universitatis invenire difficile et, cum iam inveneris, indicare in volgus nefas. rursus igitur videndum, ille fabricator huius tanti operis utrum sit imitatus exemplar, idne, quod semper unum et idem et sui simile, an id, quod generatum ortumque dicimus. atqui si pulcher est hic mundus et si probus eius artifex, profecto speciem aeternitatis imitari maluit, sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplum est pro aeterno secutus. non igitur dubium quin aeternitatem maluerit exsequi, quando quidem neque mundo quicquam pulchrius neque eius aedificatore praestantius. sic ergo generatus ad id est effectus, quod ratione sapientiaque conprehenditur atque aeternitate inmutabili continetur; ex quo efficitur ut sit necesse hunc, quem cernimus, mundum simulacrum aeternum esse alicuius aeterni. difficillimum autem est in omni conquisitione rationis exordium. de iis igitur, quae
3 diximus, haec sit prima distinctio. omni orationi cum iis rebus, de quibus explicat, videtur esse cognatio: itaque cum de re stabili et inmutabili disputat oratio, talis sit, qualis illa, quae neque redargui neque convinci potest; cum autem ingressa est imitata et efficta simulacra, bene agi putat, si similitudinem veri consequatur: quantum enim ad id, quod ortum est, aeternitas valet, tantum ad fidem veritas. quocirca si forte de deorum natura ortuque mundi disserentes minus id, quod avemus animo, consequemur, ut tota dilucide et plane exornata oratio sibi constet et ex omni parte secum ipsa consentiat, haud sane erit mirum, contentique esse debebitis, si probabilia dicentur; aequum est enim meminisse et me, qui disseram, hominem esse et vos, qui iudicetis, ut, si probabilia dicentur, ne quid ultra requiratis.

Quaeramus igitur causam, quae inpulerit eum, qui

haec machinatus est, ut originem rerum et molitionem novam quaereret. probitate videlicet praestabat, probus autem invidet nemini: itaque omnia sui similia generavit. haec nimirum gignendi mundi causa iustissima: nam cum constituisset deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur, quicquid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi adsumpsit, non tranquillum et quietum, sed inmoderate agitatum et fluitans, idque ex inordinato in ordinem adduxit; hoc enim iudicabat esse praestantius. fas autem nec est nec umquam fuit quicquam nisi pulcherrimum facere ei, qui esset optumus. cum rationem igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum, quae natura cernerentur, inintellegens intellegente in toto genere praestantius; quocirca intellegentiam in animo, animum inclusit in corpore: sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum. quam ob causam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquid coniectura potest, hunc mundum animal esse idque intellegens et divina providentia constitutum. hoc posito quod sequitur vi- 4
dendum est, cuiusnam animantium deus in fingendo mundo similitudinem secutus sit: nullius profecto id quidem, quae sunt nobis nota animantia; sunt enim omnia in quaedam genera partita aut inchoata, nulla ex parte perfecta; inperfecto autem nec absoluto simile pulchrum esse nihil potest. cuius ergo omne animal quasi particula quaedam est, sive in singulis sive in universo genere cernatur, eius similem mundum esse dicamus. omnes igitur qui animo cernuntur et ratione intelleguntur animantes conplexu rationis et intellegentiae, sicut homines hoc mundo et pecudes et omnia, quae sub aspectum cadunt, conprehenduntur. quod enim pulcherrimum in rerum natura intellegi potest et quod ex omni parte absolutissimum est, *ei* cum deus similem mundum efficere vellet, animal unum aspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. rectene igitur unum mundum diximus, an fuit pluris aut innumerabilis dictu melius et verius? unus profecto, si quidem factus est ad exemplum. quod enim omnis animantis eos, qui ratione intelleguntur, conplectitur, id non potest esse cum

altero; rursus enim alius animans, qui eum contineat, sit necesse est, cuius partes sint animantes superiores, caelumque hoc simulacrum illius ultimi sit, non proximi. quorum ne quid accideret atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quod solus atque unus esset, idcirco singularem deus hunc mundum atque unigenam procreavit.

Corporeum autem et aspectabile itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. nihil porro igni vacuum aspici ac videri potest, nec vero tangi quod careat solido, solidum autem nihil quod terrae sit expers: quam ob rem mundum efficere moliens deus terram primum ignemque iungebat. omnia autem duo ad cohaerendum tertium aliquid anquirunt et quasi nodum vinculumque desiderant; sed vinculorum id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se atque de iis, quae stringit, quam maxime unum efficit. id optime adsequitur, quae Graece *ἀναλογία*, Latine — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — comparatio proportiove dici potest. quando enim trium vel numerorum vel figurarum vel quorumcumque generum contingit ut, quod medium sit, ut ei primum proportione, ita id postremo comparetur, vicissimque, ut extremum cum medio, sic medium cum primo conferatur, id, quod medium est, tum primum fit, tum postremum, postrema autem et prima media fiunt: ita necessitas cogit ut eadem sint ea, quae diiuncta fuerant; eadem autem cum facta sint, efficitur ut omnia sint unum. quod si universi corpus planum et aequabile explicaretur neque in eo quicquam esset † requisitum, unum interiectum medium et se ipsum et ea, quibus esset interpositum, conligaret. sed cum soliditas mundo quaereretur, solida autem omnia uno medio numquam, duobus semper copulentur, ita contigit ut inter ignem atque terram aquam deus animamque poneret eaque inter se compararet et proportione coniungeret, ut, quem ad modum ignis animae, sic anima aquae, quodque anima aquae, id aqua terrae proportione redderet; qua ex coniunctione caelum ita aptum est, ut sub aspectum et tactum cadat. itaque et ob eam causam et ex iis rebus, numero quat-

tuor, mundi est corpus effectum, ea constrictum comparatione, qua dixi: ex quo ipse se concordi quadam amicitia et caritate conplectitur atque ita apte cohaeret, ut dissolvi nullo modo queat nisi ab eodem, a quo est conligatus. earum autem quattuor rerum, quas supra dixi, sic in omni mundo partes omnes conlocatae sunt, ut nulla pars huiusce generis excederet extra atque ut in hoc universo inessent genera illa universa. id ob eas causas, primum ut mundus animans posset ex perfectis partibus esse perfectus, deinde ut unus esset, nulla parte, unde alter gigneretur, relicta, postremo ne qui morbus eum posset aut senectus attingere. omnis enim coagmentatio corporis vi caloris vel frigoris vel aliqua inpulsione vehementi labefactatur et frangitur et ad morbos senectutemque conpellitur. hanc igitur habuit rationem effector mundi et molitor deus, ut unum opus totum atque perfectum ex omnibus et totis atque perfectis absolveret, quod omni morbo et senio vacaret. formam autem et maxime cognatam et decoram dedit; 6
a quo enim animanti omnis reliquos contineri vellet animantis, hunc ea forma figuravit, qua una omnes formae reliquae concluduntur, et globosum est fabricatus, quod *σφαιροειδές* Graeci vocant, cuius omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur, idque ita tornavit, ut nihil efficere posset rutundius, nihil asperitatis ut haberet, nihil offensionis, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnisque partis simillimas omnium, quod eius iudicio praestabat dissimilitudini similitudo. omni autem totam figuram mundi levitate circumdedit: nec enim oculis egebat, quia nihil extra, quod cerni posset, relictum erat, nec auribus, quia ne quod audiretur quidem, neque erant anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret, nec vero desiderabat aut alimenta corporis aut detractionem confecti et consumpti cibi; neque enim ulla decessio fieri poterat neque accessio, nec vero erat unde. itaque se ipse consumptione et senio alebat sui, cum ipse per se et a se et pateretur et faceret omnia; sic enim ratus est ille, qui ista iunxit et condidit, ipsum se contentum esse mundum neque egere altero. itaque ei nec manus ad-

fixit, quoniam nec capiendum quicquam erat nec repellendum, nec pedes aut alia membra, quibus ingressum corporis sustineret; motum enim dedit caelo eum, qui figurae eius esset aptissimus, qui unus ex septem motibus mentem atque intellegentiam cieret maxime. itaque una conversione atque eadem ipse circum se torquetur et vertitur; sex autem reliquos motus ab eo separavit itaque ab omni erratione eum liberavit. ad hanc igitur conversionem, quae pedibus et gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit.

Haec deus is, qui erat, de aliquando futuro deo cogitans levem illum effecit et undique aequabilem et a medio ad summum parem et perfectum atque absolutum ex absolutis atque perfectis. animum autem ut in eo medio conlocavit, ita per totum tetendit; deinde eum circumdedit corpore et vestivit extrinsecus caeloque solivago et volubili et in orbem incitato conplexus est, quod secum ipsum propter virtutem facile esse posset nec desideraret alterum, satis sibi ipsum notum et familiare. sic deus ille aeternus hunc perfecte beatum deum procreavit. sed animum haud ita, ut modo locuti sumus, tum denique, cum corpus ei effecisset, inchoavit; neque enim esset rectum minori parere maiorem: sed nos multa
7 inconsiderate ac temere dicimus. deus autem et ortu et virtute antiquiorem genuit animum eumque ut dominum atque imperantem oboedienti praefecit corpori, idque molitus tali quodam est modo: ex ea materia, quae individua est et quae semper unius modi suique similis, et ex ea, quae in corporibus dividua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturae et quod alterius, idque interiecit inter individuum atque id, quod dividuum esset in corpore; ea cum tria sumpsisset, in unam speciem temperavit, naturamque illam, quam alterius diximus, vi cum eadem coniunxit, fugientem et eius copulationis alienam, quae permiscens cum materia, cum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. iam partis singulas ex eodem et ex altero et ex materia temperavit. fuit autem talis illa partitio: unam principio partem detraxit ex toto, secundam autem primae

partis duplam, deinde tertiam, quae esset secundae sesquialtera, primae tripla, deinde quartam, quae secundae dupla esset, quintam inde, quae tertiae tripla, tum sextam octuplam primae, postremo septimam, quae septem et viginti partibus antecederet primae. deinde instituit dupla et tripla intervalla explere, partis rursus ex toto desecans, quas *in* intervallis ita locabat, ut in singulis essent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Graeci *μεσότητας* appellant, sed quasi ita dixerim, intellegatur; erit enim planius: earum alteram eadem parte praestantem extremis eademque superatam, alteram pari numero praestantem extremis parique superatam. sesquialteris autem intervallis et sesquitertiis et sesquioctavis sumptis ex his conligationibus in primis intervallis sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia explebat, cum particulam singulorum relinqueret. eius autem particulae intervallo relicto habebat *numerus ad* numerum eandem proportionem [comparationem*que*] in extremis, quam habent ducenta quinquaginta *sex* cum ducentis quadraginta tribus, atque ita permixtum illud, ex quo haec secuit, iam omne consumpserat. hanc igitur omnem coniunctionem duplicem in longitudinem diffidit mediaeque accommodans mediam quasi decussavit, deinde in orbem intorsit, ut et ipsae secum et inter se ex commissura, quae e regione esset, iungerentur, eoque motu, cuius orbis semper in eodem erat eodemque modo ciebatur, undique est eas circumplexus. atque ita cum alterum esset exteriorem, *alterum interiorem* amplexus orbem, illum eiusdem naturae, hunc alterius notavit, eamque, quae erat eiusdem, detorsit a latere in dexteram partem, hanc autem citimam a mediana linea direxit ad laevam, sed principatum dedit superiori, quam solam individuam reliquit. interiorem autem cum in sex partis divisisset, septem orbis disparis duplo et triplo intervallo moveri iussit contrariis inter se cursibus. eorum autem trium fecit paris celeritates, sed quattuor et inter se disparis et dissimilis trium reliquorum.

Animum igitur cum ille procreator mundi deus ex sua mente et voluntate genuisset, tum denique omne, quod erat concretum atque corporeum, substernebat 8

animo interiusque faciebat, atque ita medio medium accommodans copulabat. sic animus a medio profectus extremitatem caeli a suprema regione rutundo ambitu circumiecit seseque ipse versans divinum sempiternae sapientisque vitae induxit exordium. et corpus quidem caeli aspectabile effectum est, animus autem oculorum effugit obtutum. est autem unus ex omnibus rationis concentionisque, quae *ἁρμονία* Graece, sempiternarum rerum et sub intellegentiam cadentium conpos et particeps, quo nihil est ab optimo et praestantissimo genitore melius procreatum: quippe qui ex eadem iunctus alteraque natura adiuncta materia temperatione trium partium, proportione conpactus, se ipse conversans, cum materiam mutabilem adripuit et cum rursus individuam atque simplicem, per se omnis movetur discernitque, quid sit eiusdem generis, quid alterius, et cetera diiudicat, quid cuique rei sit maxime aptum, quid quoque loco aut modo aut tempore contingat quaeque distinctio sit inter ea, quae gignantur, et ea, quae sint semper eadem. ratio autem vera, quae versatur in iis, quae sunt semper eadem, et in iis, quae mutantur, quaeque *in* eodem et in altero movetur ipsa per sese sine voce et sine ullo sono, cum eam partem attingit, qua sensus cieri potest, *et* orbis illius generis alterius inmutatus et rectus omnia animo mentique denuntiat, tum opiniones adsensionesque firmae veraeque gignuntur. cum autem in illis rebus vertitur, quae manentes semper eaedem non sensu, sed intellegentia continentur,

* * *

9 Ratione igitur et mente divina ad originem temporis curriculum inventum est solis et lunae * * * — —
— — — — — — — — — —
— — — — — — — — — —
— — — — — — — — * * * † ius natura converteret, ut terram lunae cursus proxime ambiret eique supra terram proxima solis circumvectio esset; Lucifer deinde et sancta Mercurii stella cursum habent solis celeritati parem, sed vim quandam contrariam, eaque concursatione, quam inter se habent Lucifer, Mercurius, sol, alii alios vincunt vicissimque vincuntur.

reliquorum siderum quae causa conlocandi fuerit quaeque eorum sit conlocatio, in sermonem alium differendum est, ne in eo, quod attingendum fuit, quam in eo, cuius causa id attingimus, longior ponatur oratio. quando igitur sibi quodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, ex quibus erat motus temporis consignandus, conligatisque corporibus vinculis animalibus animantia orta sunt eaque imperio parere didicerunt, tunc ex alterius naturae motione transversa in eiusdem naturae motum incurrentia in eaque haerentia atque inpedita, cum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem, tardius quae maiorem, celerius quae minorem, motu unius eiusdemque naturae quae velocissime movebantur, ea celeritate vinci a tardioribus et, cum superabant, superari videbantur; omnis enim orbis eorum quasi helicae inflexione vertebat, quia bifariam contrarie simul procedentia efficiebant, ut, quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo. atque ut esset mensura quaedam evidens, quae in octo cursibus celeritates tarditatesque declararet, deus ipse solem quasi lumen accendit ad secundum supra terram ambitum, ut quam maxime caelum omnibus conluceret animantesque, quibus ius esset doceri, ab eiusdem motu et ab eius, quod simile esset, numerorum naturam vimque cognoscerent. nox igitur et dies ad hunc modum et ob has generata causas unum circumitum orbis efficit sapientissimum atque optimum, mensis autem, quando luna lustrato suo cursu solem consecuta est, annus, ubi sol suum totum confecit et peragravit orbem; ceterorum autem siderum ambitus ignorantes homines praeter admodum paucos neque nomine appellant neque inter se numero commetiuntur. itaque nesciunt hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili praeditos: ac tamen illud perspici et intellegi potest, absoluto perfectoque numero temporis absolutum annum perfectumque tunc conpleri denique, cum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput rettulerunt cumque eos permensus est idem et semper sui similis orbis. has igitur ob causas nata astra sunt, quae per caelum penetrantia solstitiali se et brumali revocatione converterent, ut hoc

omne animal, quod videmus, esset illi animali, quod sentimus, ad aeternitatis imitationem simillimum.

10 Et cetera quidem usque ad temporis ortum expressa ab illis, quae imitabatur, effinxerat, sed quia nondum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exemplar imaginis similitudo. quot igitur et qualis animalium formas, mens in speciem rerum intuens poterat cernere, totidem et talis in hoc mundo secum cogitavit effingere. erant autem animantium genera quattuor, quorum unum divinum atque caeleste, alterum pinnigerum et aërium, tertium *aquatile,* terrestre quartum. divinae animationis maxime speciem faciebat ex igne, ut et splendidissimus esset et aspectu pulcherrimus; cumque eum similem universi naturae efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit comitemque eum sapientiae quam optimae mentis effecit circumque omne caelum aequaliter distribuit, ut hunc varietate distinctum bene Graeci *κόσμον*, nos lucentem mundum nominaremus. dedit autem divinis duo genera motus, unum, quod semper esset in eodem † de quo et idem omnibus atque uno modo celaret, alterum, quod in anticam partem a conversione eiusdem et similis pelleretur; quinque autem reliquis motibus orbum eum voluit esse et expertem, inmobilem et stantem. ex quo genere ea sunt sidera, quae infixa caelo non moventur loco, quae sunt animantia eaque divina ob eamque causam suis sedibus inhaerent et perpetuo manent. quae autem vaga et mutabili erratione labuntur, ita generata sunt, ut supra diximus. iam vero terram, altricem nostram, quae traiecto axi sustinetur, diei noctisque effectricem eandemque custodem, antiquissimam deorum omnium voluit esse eorum, qui intra caelum gignerentur. lusiones autem deorum et inter ipsos [deos] concursiones, quaeque in orbibus eorum conversiones quaeque antecessiones eveniant, cumque inter se paene contingant, eos, qui prope copulentur contrariaque regione, et pone quos aut ante labantur, quibusque temporibus a nostro aspectu oblitescant rursusque emersi terrorem incutiant rationis expertibus, si verbis explicare conemur, nullo posito ob oculos simulacro earum rerum, frustra susci-

piatur labor. sed haec satis sint dicta nobis, quaeque de deorum, qui cernuntur quique sunt orti, natura praefati sumus, habeant hunc terminum.

Reliquorum autem, quos Graeci *δαίμονας* appellant, 11 nostri, opinor, Lares, si modo hoc recte conversum videri potest, et nosse et enuntiare ortum [eorum] maius est quam ut profiteri nos scribere audeamus: credendum nimirum est veteribus et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant, itaque eorum vocabula nobis prodiderunt. nosse autem generatores suos optime poterant, ac difficile factu est a deis ortis fidem non habere, quamquam nec argumentis nec rationibus certis eorum oratio confirmatur, sed quia de suis [notis] rebus videntur loqui, veteri legi morique parendum est. sic igitur, ut ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur atque dicatur, ut Oceanum Salaciamque Caeli satu Terraeque conceptu generatos editosque memoremus, ex his Saturnum et Opem, deinceps Iovem atque Iunonem, reliquos, *quos* fratres inter se agnatosque usurpari atque appellari videmus, et eorum, ut utamur vetere verbo, prosapiam. quando igitur omnes, et qui moventur palamque se ostendunt et qui eatenus nobis declarantur, qua ipsi volunt, creati sunt, tum ad eos is deus, qui omnia genuit, fatur: 'haec vos, qui deorum satu orti estis, attendite: quorum operum ego parens effectorque sum, haec sunt indissoluta me invito; quamquam omne conligatum solvi potest, sed haud quaquam boni est ratione vinctum velle dissolvere. sed quoniam estis orti, inmortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissolvemini, neque vos ulla mortis fata perement nec fraus valentior quam consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram quam illa, quibus estis tum, cum gignebamini, conligati. quid sentiam igitur cognoscite: tria genera nobis reliqua sunt eaque mortalia, quibus praetermissis caeli absolutio perfecta non erit; omnia enim genera animalium conplexu non tenebit; teneat autem oportebit, ut ex eodem ne quid absit. quae a me ipso effecta *si* sint, deorum vitam possint adaequare; ut igitur mortali condicione generentur, vos suscipite, ut illa gignatis, imitaminique vim

meam, qua me in vestro ortu usum esse meministis. in quibus qui tales creabuntur, ut deorum inmortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur teneantque omnium animantium principatum vobisque iure et lege volentes pareant; quorum vobis initium satusque tradetur a me, vos autem ad id, quod erit inmortale, partem attexitote mortalem: ita orientur animantes, quos et vivos alatis et consumptos sinu recipiatis.'

12 Haec ille dixit. deinde ad temperationem superiorem revertit, in qua omnem animum universae naturae temperans permiscebat superiorisque permixtionis reliquias fundens aequabat, eodem modo ferme, nisi quod non ita incorrupta, ut ea, quae semper idem, sed ab iis secundum sumebat atque etiam tertium. toto igitur omni constituto sideribus parem numerum distribuit animorum et singulos adiunxit ad singula atque ita quasi in currum universitatis inposuit commonstravitque leges fatalis ac necessarias et ostendit primum ortum unum fore omnibus eumque moderatum atque constantem nec ab ullo inminutum, satis autem et quasi sparsis animis fore uti certis temporum intervallis oreretur animal, quod esset ad cultum deorum aptissimum. sed cum duplex esset natura generis humani, sic se res habebat, ut praestantius genus esset eorum, qui essent futuri viri. cum autem animos corporibus necessitate insevisset cumque ad corpora tum accessio fieret, tum abscessio, principio necesse erat sensum exsistere unum communemque omnium vehementiore motu excitatum coniunctumque naturae, deinde voluptate et molestia mixtum amorem, post iram et metum et reliquos motus animi, comites superiorum et his etiam contrarie dissidentis: quos qui ratione rexerit, iuste vixerit, qui autem iis se dediderit, iniuste. atque ille, qui recte atque honeste curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, quocum aptus fuerit, revertetur; qui autem inmoderate et intemperate vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet, et, si ne tum quidem finem vitiorum faciet, gravius etiam iactabitur et in suis moribus simillimas figuras pecudum et ferarum transferetur neque terminum malorum prius aspiciet quam illam sequi coe-

perit conversionem, quam habebat in se ipse eiusdem et similis innatam et insitam: quod tum eveniet, cum illa, quae ex igni, anima, aqua, terra turbulenta et rationis expertia insederint, ratione depulerit et ad primam atque optimam adfectionem animi pervenerit. quae cum ita 13
designasset seseque, si quid postea fraudis aut vitii evenisset, extra omnem culpam causamque posuisset, alios in terram, alios in lunam, alios in reliquas mundi partis, quae sunt spatiorum temporis signa et notae constitutae, spargens quasi serebat; post autem eam sationem dis, ut ita dicam, iunioribus permisit ut corpora mortalia effingerent quantumque esset reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne et quae consequentia essent perpolirent et absolverent, deinde ut huic animanti principes se ducesque praeberent vitamque eius quam pulcherrime regerent et gubernarent, quatenus non ipse bene factus sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret.

Atque is quidem, qui cuncta conposuit, constanter in suo manebat statu, qui autem erant ab eo creati, cum parentis ordinem cognovissent, hunc sequebantur. itaque cum accepissent inmortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem et effectorem sui particulas ignis et terrae et aquae et animae a mundo, quas rursus redderent, mutuabantur easque inter se copulabant, haud isdem vinclis, quibus ipsi erant conligati, sed talibus, quae cerni non possent propter parvitatem, crebris quasi cuneolis inliquefactis unum efficiebant ex omnibus corpus atque in eo influente atque effluente animi divini ambitus inligabant. itaque illi in flumen inmersi neque tenebant neque tenebantur, sed vi magna tum ferebant, tum ferebantur. ita totum animal movebatur illud quidem, sed inmoderate et fortuito, ut sex motibus veheretur; nam et ante et pone et ad laevam et ad dextram et sursum et deorsum, modo huc, modo illuc

* * *

Sed si in splendore consedit, tum vel eadem species 14
vel interdum inmutata redditur, cum ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit et contulit; dextra autem videntur, quae laeva sunt, quia contrariis partibus oculorum contrarias partis attingunt. re-

spondent autem dextera dexteris, laeva laevis conversione luminum, cum ea inter se non cohaerescunt: id fit, cum speculorum levitas hinc illinc altitudinem adsumpsit et ita dextera detrusit in laevam partem oculorum laevaque in dexteram; supina etiam ora cernuntur depulsione luminum, quae convertens inferiora reddit quae sunt superiora. atque haec omnia ex eo genere sunt, quae rerum adiuvant causas; quibus utitur ministeriis deus, cum optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. sed existimant plerique non haec adiuvantia causarum, sed has ipsas esse omnium causas, quae vim habeant refrigerandi calfaciendi, concrescendi liquendi, careant autem omni intellegentia atque ratione, quae nisi in animo nulla alia in natura reperiantur. animus autem sensum omnem effugit oculorum; at ignis, *anima*, aqua, terra corpora sunt eaque cernuntur. illum autem, qui intellegentiae sapientiaeque se amatorem profitetur, necesse est intellegentis sapientisque naturae primas causas conquirere, dein secundas earum rerum, quae necessario movent alias, cum ipsae ab aliis moventur. quocirca nobis sic cerno esse faciendum, ut de utroque nos quidem dicamus genere causarum, separatim autem de iis, quae cum intellegentia sunt efficientes pulcherrimarum rerum atque optumarum, et de iis, quae vacantes prudentia, inconstantia perturbataque efficiunt. ac de oculorum quidem causis, ut haberent eam vim, quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto; maxuma autem eorum utilitas donata hominum generi deorum munere deinceps explicetur: rerum enim optumarum cognitionem nobis oculi attulerunt. nam haec, quae est habita de universitate oratio a nobis, haud umquam esset inventa, si neque sidera neque sol neque caelum sub oculorum aspectum cadere potuissent: nunc vero dies noctesque oculis cognitae, tum mensum annorumque conversiones et numerum machinatae sunt et spatium temporis dimensae et ad quaestionem totius naturae inpulerunt; quibus ex rebus philosophiam adepti sumus, quo bono nullum optabilius, nullum praestantius neque datum est mortalium generi deorum concessu atque munere neque dabitur.

* * *

Defenstrix *quoque* Cicero in Timaeo *protulit.* (Priscianus de XII. vers. Aen. c. 2. §. 16.)

M. TULLII CICERONIS DE RE PUBLICA SEX LIBRORUM RELIQUIÆ.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

De librorum de re publica consilio atque ratione ipse Cicero in aliis suis scriptis haec tradidit, e quibus etiam tempus, quo compositi sunt, facile apparet:

His libris (de natura deorum, de divinatione, de fato) adnumerandi sunt sex de re publica, quos tum scripsimus, cum gubernacula rei publicae tenebamus: magnus locus philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. (*de divinat.* II, 3.) — Ego me in Cumano et Pompeiano, praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam et eram in isdem locis usque ad Kalendas Iunias (a. u. 700) futurus. scribebam illa quae dixeram πολιτικά (politicos libros vocat Caelius ad famil. VIII, 1, 5), spissum sane opus et operosum; sed, si ex sententia successerit, bene erit opera posita, sin minus, in illud ipsum mare deiciemus, quod spectantes scribimus. (*ad Q. fr.* II, 12 [14], 1.) — Quod quaeris quid de illis libris egerim, quos, cum essem in Cumano, scribere institui, non cessavi neque cesso, sed saepe iam scribendi totum consilium rationemque mutavi. nam iam duobus factis libris, in quibus novendialibus iis feriis, quae fuerunt Tuditano et Aquilio consulibus (a. u. 625), sermo est a me institutus Africani paulo ante mortem et Laelii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis et Laelii generorum, Fannii et Scaevolae, sermo autem in novem et dies et libros distributus de optimo statu civitatis et de optimo cive — sane texebatur opus luculente hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis adferebat —, ii libri cum in Tusculano mihi legerentur audiente Salustio, admonitus sum ab illo multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de re publica, praesertim cum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus in re publica rebus essem: quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse; oratorum sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse, ad eos tamen rettulisse, quos ipse vidissem; Aristotelem denique, quae de re publica et praestanti viro scribat, ipsum loqui. commovit me, et eo magis, quod maxi-

mos motus nostrae civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores quam illorum aetas, qui loquebantur. ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. nunc et id vitabo et loquar ipse tecum, et tamen illa, quae institueram, ad te, si Romam venero, mittam; puto enim te existimaturum a me illos libros non sine aliquo meo stomacho esse relictos. (*ad Q. fr.* III, 5, 1—2.) — Si Cottam et Varronem fecissem inter se disputantis (in libris Academicis), ut a te proximis litteris admoneor, meum *κωφὸν πρόσωπον* esset. hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis et nos sex de re publica libris fecimus. (*ad Att.* XIII, 19, 3.) — Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum, si modo erit locus. sed nosti genus dialogorum meorum: ut in oratoriis, quos tu in caelum fers, non mentio potuit fieri cuiusquam ab iis, qui disputant, nisi eius, qui illis notus aut auditus esset, hanc ego de re publica, quam institui, disputationem in Africani personam et Phili et Laelii et Manilii contuli; adiunxi adulescentis Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos, Scaevolam et Fannium. itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis, quos *ἐξωτερικοὺς* vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem, id quod intellego tibi placere. utinam modo conata efficere possim! rem enim, quod te non fugit, magnam conplexus sum et gravem et plurimi otii, quo ego maxime egeo. (*ad Att.* IV, 16, 2.) — Flens mihi meam famam commendasti. quae epistula tua est, in qua mentionem non facias? itaque irascatur qui volet: ego patiar; *τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ*, praesertim cum sex libris tamquam praedibus me ipse obstrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo, e quibus unum *ἱστορικὸν* requiris de Cn. Flavio, Annii filio. ille vero ante decemviros non fuit, quippe qui aedilis curulis fuerit, qui magistratus multis annis post decemviros institutus est. quid ergo profecit, quod protulit fastos? occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse actionesque conposuisse, ne me hoc vel potius Africanum — is enim loquitur — commentum putes. (*ad Att.* VI, 1, 8.) — Quoniam scriptum est a te de optimo rei publicae statu, consequens esse videtur ut scribas tu idem de legibus: sic enim fecisse video Platonem illum tuum. (*de legg.* I, 15.) — Eius rei publicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et servandus status omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus. (*de legg.* I, 20.) — An censes, cum in illis de re publica libris persuadere videatur Africanus, omnium rerum publicarum nostram veterem illam fuisse optumam, non necesse esse optumae rei publicae leges dare consentaneas? (*de legg.* II, 23.) — Nos, quoniam leges damus liberis populis, quaeque de optima re publica sentiremus, in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum. (*de legg.* III, 4.) — Quo perniciosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt,

quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt plusque exemplo quam peccato nocent. atque haec lex, dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest; pauci enim atque admodum pauci honore et gloria amplificati vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt. sed haec et nunc satis et in illis libris (de re publica) tractata sunt diligentius: qua re ad reliqua veniamus. (*de legg.* III, 32.) — Cum a primo urbis ortu regiis institutis, partim etiam legibus, auspicia, caerimoniae, comitia, provocationes, patrum consilium, equitum peditumque discriptio, tota res militaris divinitus esset constituta, tum progressio admirabilis incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est dominatu regio re publica liberata. nec vero hic locus est, ut de moribus institutisque maiorum et disciplina ac temperatione civitatis loquamur: aliis haec locis satis accurate a nobis dicta sunt maximeque in iis sex libris, quos de re publica scripsimus. (*Tusc. disp.* IV, 1.) — Quod idem (animos hominum esse divinos iisque, cum ex corpore excessissent, reditum in caelum patere optimoque et iustissimo cuique expeditissimum) Scipioni videbatur, qui quidem, quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum et Philus et Manilius adessent et alii plures, tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum disseruit de re publica, cuius disputationis fuit extremum fere de inmortalitate animorum, quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. (*Lael.* §. 14.) — De hoc genere toto (de largitionibus popularibus) in iis libris, quos de re publica scripsi, diligenter est disputatum. (*de offic.* II, 60.) — Sed heus tu, *πυρούς εἰς δῆμον* Athenis? placet hoc tibi? etsi non inpediebant mei certe libri; non enim ista largitio fuit in civis, sed in hospites liberalitas. (*ad Att.* VI, 6, 2.) — Ego a te peto, inquit Pomponius, ut scribas aliquid; iam pridem enim conticuerunt tuae litterae: nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus; eisque nosmet ipsi ad veterum rerum nostrarum memoriam conprehendendam pulsi atque incensi sumus. (*Brut.* §. 19.)

Argumentum primi libri hoc est:

Cicero postquam dubitationem ad rem publicam adeundi in primis tollere conatus est (c. 1—7), memoria repetendam dicit unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum Romanae civitatis virorum disputationem, quam sibi eique, cui hos libros inscripsit, sive is Atticus fuit sive Quintus frater, adulescentulo Smyrnae (Lepido et Catulo consulibus, a. u. 676.) P. Rutilium Rufum exposuisse tradit (c. 8). Disputationem illam fingit a P. Africano, Pauli filio, habitam Tuditano et Aquilio cos. (a. u. 625.) Ad hunc enim, ut Cicero narrat, feriis Latinis convenerant aliquot familiares, primus Q. Aelius Tubero, Pauli ex Aemilia, sorore Africani, nepos (c. 9. 10), deinde L. Furius Philus et P. Rutilius Rufus (c. 11), tum C. Laelius Sapiens, Sp. Mummius, C. Fannius et Q. Scaevola, Laelii generi, denique M'. Manilius (c. 12). Quorum ceteri cum de rebus caelestibus sermocinarentur, Laelius magis ad se pertinere ostendit sermonem de re publica: quem ut instituat Africanus suamque de ea re sententiam exponat, ceteris adsentientibus impetrat (c.

13—23). Scipio igitur (c. 24) tandem exordiens primum definit notionem rei publicae, quam dicit esse rem populi, populum autem coetum multitudinis consensu iuris et utilitatis communione sociatum (c. 25). Deinde omnem rem publicam, sive a rege sive ab optimatibus sive ab ipso populo administretur, consilio regendam esse censet. Tum interrogatus a Laelio quam de tribus istis administrandae illius formis optimam iudicet nullam earum sibi satis facere respondet, sed quartam quandam temperatam et compositam ex omnibus (c. 29). Instante autem Laelio, ut quam de tribus illis administrationis rationibus maxime probet aperte profiteatur, regiam reliquis duabus anteponit, cum ceterorum plurimorum tum ipsius populi Romani atque rei et domesticae et bellicae usu unice commendatam: quamquam consilium in optimatium, in populi imperio libertatem collaudat. Denique redit ad eam, quam iam supra professus est, sententiam, genus rei publicae regendae optimum illud sibi videri, quod mixtum sit e tribus illis generibus. Quod quoniam Romanae rei publicae exemplo illustrare propositum habet, antea quantum haec ceteris praestet sibi ostendendum esse dicit (c. 30—46).

FRAGMENTA VATICANA.

[*Desiderantur in palimpsesto paginae XXXIV.*]

1 1 Cod. p. 63. * * * *in*|petu liberavissent, nec C. Duelius, Aulus Atilius, L. Metellus terrore Karthaginis, non duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent, nec id excitatum maioribus copiis aut Quintus Maximus enervavisset aut M. Marcellus contudisset aut a portis huius urbis avolsum P. Africanus conpulisset intra hostium moenia. M. vero p. 64.] Catoni, homini ignoto et novo, quo omnes, | qui isdem rebus studemus, quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur, certe licuit Tusculi se in otio delectare, salubri et propinquo loco; sed homo demens, ut isti putant, cum cogeret eum necessitas nulla, in his undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit iactari quam in illa tranquillitate atque otio iucundissime vivere. omitto innumerabilis viros, quorum singuli p. 77.] saluti huic civitati | fuerunt, et quia sunt *haud* procul ab aetatis huius memoria, commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur: unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generi hominum a natura tantumque amorem ad

communem salutem defendendam datum, ut ea vis omnia blandimenta voluptatis otiique vicerit.

Nec vero habere virtutem satis est quasi artem ali- 2 2
quam, nisi | utare: etsi ars quidem, cum ea non [p. 78.
utare, scientia tamen ipsa teneri potest; virtus in usu
sui tota posita est, usus autem eius est maximus civitatis
gubernatio et earum ipsarum rerum, quas isti in angulis
personant, reapse, non oratione perfectio. nihil enim
dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque
dicatur, quod *non* ab iis partum confirmatumque sit, a
quibus civitatibus iura discripta sunt. unde | enim [p. 123.
pietas aut a quibus religio? unde ius aut gentium aut
hoc ipsum civile quod dicitur? unde iustitia, fides,
aequitas? unde pudor, continentia, fuga turpi*tu*dinis, adpetentia laudis et honestatis? unde in laboribus et periculis fortitudo? nempe ab iis, qui haec disciplinis informata alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem alia
legibus. quin etiam Xenocraten ferunt, nobilem in 3
primis philosophum, cum quae|reretur ex eo, quid [p. 124.
adsequerentur eius discipuli, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. ergo ille civis, qui id cogit omnis imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam iis, qui illa disputant, ipsis est praeferendus doctoribus: quae est enim istorum oratio tam exquisita, quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico iure et
moribus? equidem | quem ad modum 'urbis ma- [p. 125.
gnas atque imperiosas,' ut appellat Ennius, viculis et castellis praeferendas puto, sic eos, qui his urbibus consilio atque auctoritate praesunt, iis, qui omnis negotii publici expertes sunt, longe duco sapientia ipsa esse anteponendos. et quoniam maxime rapimur ad opes augendas generis humani studemusque nostris consiliis et laboribus tutiorem et opulentiorem vitam hominum
reddere et ad hanc | voluntatem ipsius naturae [p. 126.
stimulis incitamur, teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cuiusque, neque ea signa audiamus, quae receptui canunt, ut eos etiam revocent, qui iam processerint.

His rationibus tam certis tamque inlustribus oppo- 3 4

nuntur ab iis, qui contra disputant, primum labores, qui
sint re publica defendenda sustinendi: leve sane inpedi-
p. 91.] mentum vigilanti et industrio, neque solum | in
tantis rebus, sed etiam in mediocribus vel studiis vel
officiis vel vero etiam negotiis contemnendum. adiun-
guntur pericula vitae turpisque ab his formido mortis
fortibus viris opponitur, quibus magis id miserum videri
solet, natura se consumi et senectute, quam sibi dari
tempus, ut possint eam vitam, quae tamen esset red-
denda naturae, pro patria potissimum reddere. illo vero
p. 92.] se loco copiosos et disertos | putant, cum cala-
mitates clarissimorum virorum iniuriasque iis ab ingratis
5 inpositas civibus conligunt. hinc enim illa et apud
Graecos exempla, Miltiadem victorem domitoremque
Persarum nondum sanatis volneribus iis, quae corpore
adverso in clarissima victoria accepisset, vitam ex ho-
stium telis servatam in civium vinclis profudisse, et
Themistoclem patria, quam liberavisset, pulsum atque
p. 73.] proterri,tum non in Graeciae portus per se ser-
vatos, sed in barbariae sinus confugisse, quam adflixe-
rat; nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in
amplissimos civis exempla deficiunt, quae nata et fre-
quentata apud illos etiam in gravissumam civitatem
6 nostram dicunt redundasse: nam vel exsilium Camilli
vel offensio commemoratur Ahalae, vel invidia Nasicae
p. 74.] vel expulsio Laenatis vel Opimii | damnatio vel
fuga Metelli vel acerbissima C. Marii clades, principum
caedes, vel eorum multorum pestes, quae paulo post
secutae sunt. nec vero iam meo nomine abstinent, et,
credo, quia nostro consilio ac periculo sese in illa vita
atque otio conservatos putant, gravius etiam de nobis
queruntur et amantius. sed haud facile dixerim cur,
cum ipsi discendi aut visendi causa maria tramit-
tant * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

4 7 p. 259.] * * * | salvam esse consulatu abiens in con-
tione, populo Romano idem iurante, iurassem, facile in-
iuriarum omnium conpensarem curam et molestiam.
quamquam nostri casus plus honoris habuerunt quam
laboris, neque tantum molestiae quantum gloriae, maio-

remque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus quam
ex laetitia inproborum dolorem. sed si aliter, ut dixi,
accidisset, qui possem queri? | cum mihi nihil [p. 260.
inproviso nec gravius quam exspectavissem pro tantis
meis factis evenisset. is enim fueram, cui cum liceret
aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris propter
variam suavitatem studiorum, in quibus a pueritia vixe-
ram, aut si quid accideret acerbius universis, non prae-
cipuam, sed parem cum ceteris fortunae condicionem
subire, non dubitaverim me gravissimis tempestati-
bus | ac paene fulminibus ipsis obvium ferre conser- [p. 49.
vandorum civium causa meisque propriis periculis parere
commune reliquis otium. neque enim hac nos patria 8
lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta ex-
spectaret a nobis ac tantum modo nostris ipsa commodis
serviens tutum perfugium otio nostro suppeditaret et
tranquillum ad quietem locum, sed ut plurimas et maxi-
mas nostri ani|mi, ingenii, consilii partis ipsa sibi [p. 50.
ad utilitatem suam pigneraretur tantumque nobis in no-
strum privatum usum, quantum ipsi superesse posset,
remitteret.

Iam illa perfugia, quae sumunt sibi ad excusationem, 5 9
quo facilius otio perfruantur, certe minime sunt audienda,
cum ita dicunt, accedere ad rem publicam plerumque
homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari
sordidum, confligere | autem, multitudine prae- [p. 89.
sertim incitata, miserum et periculosum sit; quam ob
rem neque sapientis esse accipere habenas, cum insanos
atque indomitos impetus volgi cohibere non possit, ne-
que liberi cum inpuris atque inmanibus adversariis de-
certantem vel contumeliarum verbera subire vel exce-
ptare sapienti non ferendas iniurias: proinde quasi bonis
et fortibus et magno animo praeditis | ulla sit [p. 90.
ad rem publicam adeundi causa iustior quam ne pareant
inprobis neve ab isdem lacerari rem publicam patiantur,
cum ipsi auxilium ferre, si cupiant, non queant.

Illa autem exceptio cui probari tandem potest, quod 6 10
negant sapientem suscepturum ullam rei publicae par-
tem, extra quam si eum tempus et necessitas coëgerit?
quasi vero maior cuiquam necessitas accidere possit, quam

p. 83.] accidit nobis, in qua quid facere potuissem, | nisi
tum consul fuissem? consul autem esse qui potui,
nisi eum vitae cursum tenuissem a pueritia, per quem
equestri loco natus pervenirem ad honorem amplissi-
mum? non igitur potestas est ex tempore aut cum velis
opitulandi rei publicae, quamvis ea prematur periculis,
11 nisi eo loco sis, ut tibi id facere liceat. maximeque hoc
in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet,
p. 84.] quod qui tranquillo | mari gubernare se negent
posse, quod nec didicerint nec umquam scire curaverint,
idem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis
maximis fluctibus. isti enim palam dicere atque in eo
multum etiam gloriari solent, se de rationibus rerum
publicarum aut constituendarum aut tuendarum nihil nec
didicisse umquam nec docere, earumque rerum scientiam
p. 85.] non doctis hominibus | ac sapientibus, sed in illo
genere exercitatis concedendam putant. qua re qui con-
venit polliceri operam suam rei publicae tum denique,
si necessitate cogantur? cum, quod est multo proclivius,
nulla necessitate premente rem publicam regere nesciant.
equidem, ut verum esset sua voluntate sapientem descen-
dere ad rationes civitatis non solere, sin autem tempori-
p. 86.] bus cogeretur, | tum id munus denique non re-
cusare, tamen arbitrarer hanc rerum civilium minime
neglegendam scientiam sapienti, propterea quod omnia
essent ei praeparanda, quibus nesciret an aliquando uti
necesse esset.

7
12 Haec pluribus a me verbis dicta sunt ob eam cau-
sam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de re
publica disputatio, quae ne frustra haberetur, dubitatio-
p. 79.] nem ad rem publicam adeun|di in primis debui
tollere. ac tamen si qui sunt qui philosophorum aucto-
ritate moveantur, dent operam parumper atque audiant
eos, quorum summa est auctoritas apud doctissimos ho-
mines et gloria: quos ego existimo, etiam si qui ipsi
rem publicam non gesserint, tamen, quoniam de re
publica multa quaesierint et scripserint, functos esse ali-
quo rei publicae munere; eos vero septem, quos Graeci
p. 80.] sapientis nomi|naverunt, omnis paene video in
media re publica esse versatos. neque enim est ulla

res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas aut conservare iam conditas.

Quibus de rebus, quoniam nobis contigit ut idem et 8
in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum 13
consecuti et in explicandis rationibus rerum civilium quandam facultatem non mo|do usu, sed etiam [p. 55. studio discendi et docendi essemus * * auctores, cum superiores alii fuissent in disputationibus perpoliti, quorum res gestae nullae invenirentur, alii in gerendo probabiles, in disserendo rudes. nec vero nostra quaedam est instituenda nova et a nobis inventa ratio, sed unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria | est, [p. 56. quae mihi tibique quondam adulescentulo est a P. Rutilio Rufo, Zmyrnae cum simul essemus conpluris dies, exposita, in qua nihil fere, quod magno opere ad rationes omnium rerum pertineret, *est* praetermissum. nam 9
cum P. Africanus hic, Pauli filius, feriis Latinis Tudi- 14
tano et Aquilio cos. constituisset in hortis esse, familiarissimique eius ad eum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixissent, | Latinis ipsis mane ad [p. 273. eum primus sororis filius venit Q. Tubero: quem cum comiter Scipio appellavisset libenterque vidisset, 'quid tu' inquit 'tam mane, Tubero? dabant enim hae feriae tibi opportunam sane facultatem ad explicandas tuas litteras.' tum ille: 'mihi vero omne tempus est ad meos libros vacuum; numquam enim sunt illi occupati; te autem permagnum est nancisci otiosum hoc praesertim mo|tu rei publicae.' tum Scipio: 'atqui nanctus [p. 274. es, sed me hercule otiosiorem opera quam animo.' et ille: 'tu vero animum quoque relaxes oportet; sumus enim multi, ut constituimus, parati, si tuo commodo fieri potest, abuti tecum hoc otio.' 'libente me vero, ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur.'

Tum ille: 'visne igitur, quoniam et me quodam modo 10
invitas et tui spem das, hoc primum, Africane, | vi- [p. 97. 15
deamus, ante quam veniunt alii, quidnam sit de isto altero sole quod nuntiatum est in senatu? neque enim pauci neque leves sunt, qui se duo soles vidisse dicant,

ut non tam fides non habenda quam ratio quaerenda sit.' hic Scipio: 'quam vellem Panaetium nostrum nobiscum haberemus! qui cum cetera tum haec caelestia vel studiosissime solet quaerere. sed ego, Tubero —
p. 98.] nam tecum | aperte quod sentio loquar —, non nimis adsentior in omni isto genere nostro illi familiari, qui, quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari, sic adfirmat, ut oculis ea cernere videatur aut tractare plane manu. quo etiam sapientiorem Socratem soleo iudicare, qui omnem eius modi curam deposuerit eaque, quae de natura quaererentur, aut maiora, quam homi-
p. 33.] num ratio consequi posset, aut nihil om|nino ad
16 vitam hominum attinere dixerit.' dein Tubero: 'nescio, Africane, cur ita memoriae proditum sit, Socratem omnem istam disputationem reiecisse et tantum de vita et de moribus solitum esse quaerere: quem enim auctorem de illo locupletiorem Platone laudare possumus? cuius in libris multis locis ita loquitur Socrates, ut etiam cum de moribus, de virtutibus, denique de re publica
p. 34.] disputet, nume|ros tamen et geometriam et harmoniam studeat Pythagorae more coniungere.' tum Scipio: 'sunt ista, ut dicis, sed audisse te credo, Tubero, Platonem Socrate mortuo primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam et in Siciliam contendisse, ut Pythagorae inventa perdisceret, eumque et cum Archyta Tarentino et cum Timaeo Locro multum fuisse et Philoleo commentarios esse nanctum; cumque eo tem-
p. 263.] po|re in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse. itaque cum Socratem unice dilexisset eique omnia tribuere voluisset, leporem Socraticum subtilitatemque sermonis cum obscuritate Pythagorae et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit.'

11
17 Haec Scipio cum dixisset, L. Furium repente venien-
p. 264.] tem aspexit eumque, ut salutavit, amicissime | adprehendit et in lecto suo conlocavit. et cum simul P. Rutilius venisset, qui est nobis huius sermonis auctor, eum quoque ut salutavit, propter Tuberonem iussit adsidere. tum Furius: 'quid vos agitis? num sermonem vestrum aliquem diremit noster interventus?' 'minime

vero;' Africanus 'soles enim tu haec studiose investi-
gare, quae sunt in hoc genere, de quo instituerat paulo
ante Tubero quae|rere. Rutilius quidem noster [p. 209.
etiam sub ipsis Numantiae moenibus solebat mecum in-
terdum eius modi aliquid conquirere.' 'quae res tan-
dem inciderat?' inquit Philus. tum ille: 'de solibus
istis duobus, de quo studeo, Phile, ex te audire quid
sentias.'

Dixerat hoc ille, cum puer nuntiavit venire ad eum 12 18
Laelium domoque iam exisse. tum Scipio calceis et
vestimentis sumptis e cubiculo est egressus, et cum pau-
lulum inambu|lavisset in porticu, Laelium ad- [p. 210.
venientem salutavit, et eos, qui una venerant, Spurium
Mummium, quem in primis diligebat, et C. Fannium et
Quintum Scaevolam, generos Laelii, doctos adulescentis,
iam aetate quaestorios: quos cum omnis salutavisset,
convertit se in porticu et coniecit in medium Laelium;
fuit enim hoc in amicitia quasi quoddam ius inter illos,
ut militiae propter eximiam belli gloriam | Afri- [p. 197.
canum ut deum coleret Laelius, domi vicissim Laelium,
quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Sci-
pio. dein cum essent perpauca inter se uno aut altero
spatio conlocuti Scipionique eorum adventus periucun-
dus et pergratus fuisset, placitum est ut in aprico maxime
pratuli loco, quod erat hibernum tempus anni, conside-
rent: quod cum facere vellent, intervenit vir prudens
omnibus|que illis et iucundus et carus, M'. Ma- [p. 198.
nilius, qui a Scipione ceterisque amicissime consalutatus
adsedit proximus Laelio.

Tum Philus 'non mihi videtur,' inquit 'quod hi vene- 13 19
runt, alius nobis sermo esse quaerendus, sed agendum
accuratius et dicendum dignum aliquid horum auribus.'
hic Laelius: 'quid tandem agebatis aut cui sermoni nos
intervenimus?' 'quaesierat ex me Scipio, | quid- [p. 269.
nam sentirem de hoc, quod duo soles visos esse consta-
ret.' 'ain vero, Phile, iam explorata nobis sunt ea, quae
ad domos nostras quaeque ad rem publicam pertinent?
si quidem quid agatur in caelo quaerimus.' et ille: 'an
tu ad domos nostras non censes pertinere scire quid
agatur et quid fiat domi? quae non ea est, quam parietes

nostri cingunt, sed mundus hic totus, quod domicilium
p. 270.] quamque patriam di | nobis communem secum
dederunt, cum praesertim, si haec ignoremus, multa
nobis et magna ignoranda sint. ac me quidem, ut her-
cule etiam te ipsum, Laeli, omnisque avidos sapientiae
20 cognitio ipsa rerum consideratioque delectat.' tum Lae-
lius: 'non inpedio, praesertim quoniam feriati sumus,
sed possumus audire aliquid an serius venimus?' 'nihil
p. 43.] est adhuc disputatum, et, | quoniam est integrum,
libenter tibi, Laeli, ut de eo disseras equidem conces-
sero.' 'immo vero te audiamus, nisi forte Manilius inter-
dictum aliquod inter duos soles putat esse conponendum,
ut ita caelum possideant, ut uterque possederit.' tum
Manilius: 'pergisne eam, Laeli, artem inludere, in qua
primum excellis ipse, deinde sine qua scire nemo potest
p. 44.] quid sit suum, quid alienum? | sed ista mox:
nunc audiamus Philum, quem video maioribus iam de
rebus quam me aut quam P. Mucium consuli.'

14 21 Tum Philus: 'nihil novi vobis adferam neque quod
a me sit cogitatum aut inventum; nam memoria teneo
C. Sulpicium Gallum, doctissimum, ut scitis, hominem,
cum idem hoc visum diceretur et esset casu apud M.
Marcellum, qui cum eo consul fuerat, sphaeram, quam
p. 103.] M. Marcelli avus captis | Syracusis ex urbe lo-
cupletissima atque ornatissima sustulisset, cum aliud
nihil ex tanta praeda domum suam deportavisset, ius-
sisse proferri: cuius ego sphaerae cum persaepe propter
Archimedi gloriam nomen audissem, speciem ipsam non
sum tanto opere admiratus; erat enim illa venustior et
nobilior in volgus, quam ab eodem Archimede factam
22 posuerat in templo Virtutis Marcellus idem. sed postea
p. 104.] quam | coepit rationem huius operis scientis-
sime Gallus exponere, plus in illo Siculo ingenii quam
videretur natura humana ferre potuisse iudicavi fuisse:
dicebat enim Gallus sphaerae illius alterius solidae at-
que plenae vetus esse inventum et eam a Thalete Mi-
lesio primum esse tornatam, post autem ab Eudoxo
Cnidio, discipulo, ut ferebat, Platonis, eandem illam
p. 65.] astris stellisque, quae caelo inhaererent, es|se
descriptam, cuius omnem ornatum et descriptionem,

sumptam ab Eudoxo, multis annis post non astrologiae scientia, sed poëtica quadam facultate versibus Aratum extulisse. hoc autem sphaerae genus, in quo solis et lunae motus inessent et earum quinque stellarum, quae errantes et quasi vagae nominarentur, in illa sphaera solida non potuisse finiri, atque in eo admirandum esse inventum | Archimedi, quod excogitasset, quem [p. 66. ad modum in dissimillimis motibus inaequabilis et varios cursus servaret una conversio. hanc sphaeram Gallus cum moveret, fiebat ut soli luna totidem conversionibus in aere illo, quot diebus in ipso caelo, succederet, ex quo et in [caelo] sphaera solis fieret eadem illa defectio, et incideret luna tum in eam metam, quae esset umbra terrae, cum sol e regione * * *

[*Octo paginae hic a Maio desiderantur.*]

* * * | fuit, quod et ipse hominem diligebam [p. 59. 15 23
et in primis patri meo Paulo probatum et carum fuisse cognoveram. memini me admodum adulescentulo, cum pater in Macedonia consul esset et essemus in castris, perturbari exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito candens et plena luna defecisset. tum ille, cum legatus noster esset anno fere ante, | quam [p. 60. consul est declaratus, haud dubitavit postridie palam in castris docere nullum esse prodigium, idque et tum factum esse et certis temporibus esse semper futurum, cum sol ita locatus fuisset, ut lunam suo lumine non posset attingere.' 'ain tandem?' inquit Tubero 'docere hoc poterat ille homines paene agrestis et apud inperitos audebat haec dicere?' 'ille vero et magna quidem cum * * *

[*Hic Maio minimum duae paginae videntur deesse.*] 24

neque in|solens ostentatio neque oratio abhorrens [p. 71. a persona hominis gravissimi; rem enim magnam adsecutus *est*, quod hominibus perturbatis inanem religionem timoremque deiecerat. atque eius modi quiddam etiam 16 25
bello illo maximo, quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter se contentione gesserunt, Pericles ille, et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae, cum obscurato | sole tenebrae factae essent [p. 72. repente Atheniensiumque animos summus timor occupa-

visset, docuisse civis suos dicitur, id quod ipse ab Anaxagora, cuius auditor fuerat, acceperat, certo illud tempore fieri et necessario, cum tota se luna sub orbem solis subiecisset: itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse nisi intermenstruo tempore. p. 279.] quod cum disputando ratio|nibusque docuisset, populum liberavit metu; erat enim tum haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositu solere deficere, quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt. id autem postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit, anno trecentesimo quinquagesimo fere post Romam conditam

Nonis Iunis soli luna obstitit et nox.

p. 280.] atque hac in re tanta inest ratio atque sollertia, | ut ex hoc die, quem apud Ennium et in maximis annalibus consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint usque ad illam, quae Nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo; quibus quidem Romulum tenebris etiam si natura ad humanum exitum abripuit, virtus tamen in caelum dicitur sustulisse.'

17 26 Tum Tubero: 'videsne, Africane, quod paulo ante secus tibi videbatur, doc * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 121.] * * * | lis, quae videant ceteri. quid porro aut praeclarum putet in rebus humanis, qui haec deorum regna perspexerit, aut diuturnum, qui cognoverit quid sit aeternum, aut gloriosum, qui viderit quam parva sit terra, primum universa, deinde ea pars eius, quam homines incolant, quamque nos in exigua eius parte adfixi, plurimis ignotissimi gentibus, speremus tamen nostrum
27 p. 122.] nomen volitare et vagari | latissime. agros vero et aedificia et pecudes et inmensum argenti pondus atque auri qui bona nec putare nec appellare soleat, quod earum rerum videatur ei levis fructus, exiguus usus, incertus dominatus, saepe etiam deterrimorum hominum inmensa possessio, quam est hic fortunatus putandus! cui soli vere liceat omnia non Quiritium, sed p. 139.] sapientium iure pro suis vindica|re, nec civili nexo, sed communi lege naturae, quae vetat ullam rem

esse cuiusquam nisi eius, qui tractare et uti sciat; qui
imperia consulatusque nostros in necessariis, non in ex-
petendis rebus, muneris fungendi gratia subeundos, non
praemiorum aut gloriae causa adpetendos putet; qui
denique, ut Africanum avum meum scribit Cato solitum
esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam
| se plus agere quam nihil cum ageret, num- [p. 140.
quam minus solum esse quam cum solus esset. quis 28
enim putare vere potest plus egisse Dionysium tum, cum
omnia moliendo eripuerit civibus suis libertatem, quam
eius civem Archimedem, cum istam sphaeram, nihil cum
agere videretur, [de qua modo dicebatur,] effecerit? quis
autem non ma|gis solos esse, qui in foro turba- [p. 141.
que quicum conloqui libeat non habeant, quam qui nullo
arbitro vel secum ipsi loquantur vel quasi doctissimorum
hominum in concilio adsint, cum eorum inventis scriptis-
que se oblectent? quis vero divitiorem quemquam putet
quam eum, cui nihil desit, quod quidem natura deside-
ret, aut potentiorem quam illum, qui omnia quae ex-
pe|tat consequatur, aut beatiorem quam qui sit [p. 142.
omni perturbatione animi liberatus, aut firmiore fortuna
quam qui ea possideat, quae secum, ut aiunt, vel e nau-
fragio possit ecferre? quod autem imperium, qui magi-
stratus, quod regnum potest esse praestantius quam
despicientem omnia humana et inferiora sapientia du-
centem nihil umquam nisi sempiternum et divinum animo
| volutare? cui persuasum sit appellari ceteros [p. 127.
homines, esse solos eos, qui essent politi propriis huma-
nitatis artibus? ut mihi Platonis illud, seu quis dixit 29
alius, perelegans esse videatur, quem cum ex alto igno-
tas ad terras tempestas et in desertum litus detulisset,
timentibus ceteris propter ignorationem locorum, ani-
madvertisse dicunt in arena geometricas formas quasdam
esse descriptas, | quas ut vidisset, exclamavisse [p. 128.
ut bono essent animo; videre enim se hominum vestigia:
quae videlicet ille non ex agri consitura, quam cernebat,
sed ex doctrinae indiciis interpretabatur. quam ob rem,
Tubero, semper mihi et doctrina et eruditi homines et
tua ista studia placuerunt.'

Tum Laelius: 'non audeo quidem' inquit 'ad ista, 18 30

Scipio, dicere, neque tam te aut Philum aut Manilium * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 285.] * * * | in ipsius paterno genere fuit noster ille amicus, dignus huic ad imitandum,

[egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus,]

qui 'egregie cordatus' et 'catus' fuit et ab Ennio dictus est, non quod ea quaerebat, quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat, quae eos, qui quaesissent, et cura et negotio solverent, cuique contra Galli studia p. 286.] disputanti in ore semper erant illa | de Iphigenia Achillis:

astrologorum signa in caelo quaesit, observat, Iovis
cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluae.
quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.

atqui idem — multum enim illum audiebam et libenter — Zethum illum Pacuvii nimis inimicum doctrinae esse dicebat: magis eum delectabat Neoptolemus Ennii, qui p. 181.] se ait philosophari | velle, sed paucis; nam omnino haud placere. quod si studia Graecorum vos tanto opere delectant, sunt alia liberiora et fusa latius, quae vel ad usum vitae vel etiam ad ipsam rem publicam conferre possumus. istae quidem artes, si modo aliquid valent, *id valent,* ut paulum acuant et tamquam inritent ingenia puerorum, quo facilius possint maiora discere.'

19
31 p. 182.] Tum Tubero: 'non dissentio a te, Laeli, sed quaero quae tu esse maiora intellegas.' 'dicam me hercule et contemnar a te fortasse, cum tu ista caelestia de Scipione quaesieris, ego autem haec, quae videntur ante oculos esse, magis putem quaerenda. quid enim mihi L. Pauli nepos, hoc avunculo, nobilissima in familia atque in hac tam clara re publica natus, quaerit quo modo duo soles visi sint, non quaerit cur in una re publica duo senatus et duo paene iam populi sint? nam, ut p. 213.] videtis, mors Tiberii Gracchi et iam ante tota

illius ratio tribunatus divisit populum unum in duas par-
tis, obtrectatores autem et invidi Scipionis, initiis factis
a P. Crasso et Appio Claudio, tenent nihilo minus illis
mortuis senatus alteram partem dissidentem a vobis
auctore Metello et P. Mucio, neque hunc, qui unus po-
test, concitatis sociis et nomine Latino, foederibus vio-
latis, triumvi|ris seditiosissimis aliquid cotidie [p. 214.
novi molientibus, bonis viris [locupletibus] perturbatis,
his tam periculosis rebus subvenire patiuntur. quam ob 32
rem, si me audietis, adulescentes, solem alterum ne me-
tueritis: aut enim nullus esse potest, aut sit sane, ut
visus est, modo ne sit molestus; aut scire istarum rerum
nihil aut, etiam si maxime sciemus, nec meliores ob eam
scientiam nec beatiores esse possumus: sena|tum [p. 215.
vero et populum ut unum habeamus et fieri potest et
permolestum est, nisi fit, et secus esse scimus et vide-
mus, si id effectum sit, et melius nos esse victuros et
beatius.'

Tum Mucius: 'quid esse igitur censes, Laeli, discen- 20 33
dum nobis, ut istud efficere possimus ipsum, quod po-
stulas?' 'eas artis, quae efficiant ut usui civitati simus;
id enim esse praeclarissimum sapientiae munus maxi-
mumque virtutis | vel documentum vel officium [p. 216.
puto. quam ob rem, ut hae feriae nobis ad utilissimos
rei publicae sermones potissimum conferantur, Scipio-
nem rogemus ut explicet, quem existimet esse optimum
statum civitatis. deinde alia quaeramus, quibus cognitis
spero nos ad haec ipsa via perventuros earumque rerum
rationem, quae nunc instant, explicaturos.' cum id et 21 34
Philus et Manilius et Mummius admodum adproba*ris-*
sent * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

Sane dixerunt auctores 'simulat' per 'u' hoc est ὁμοιάζει, ut Cicero de re publica: nullum est exemplum cui malimus adsimulare rem publicam. (Diomedes p. 365 *ed. Keil.*)

M. Tullius de re publica lib. I: quare, si placet, deduc orationem tuam de caelo ad haec citeriora. (Nonius v. *cituma* p. 85 et v. *deductum* p. 289.)

* * * | non solum ob eam causam fieri volui, [p. 293.

quod erat aequum de re publica potissimum principem rei publicae dicere, sed etiam quod memineram persaepe te cum Panaetio disserere solitum coram Polybio, duobus Graecis vel peritissimis rerum civilium, multaque conligere ac docere, optimum longe statum civitatis esse eum, quem maiores nostri nobis reliquissent. qua p. 294.] in disputatione quoniam tu | paratior es, feceris, ut etiam pro his dicam, si de re publica quid sentias explicaris, nobis gratum omnibus.'

22 35 Tum ille: 'non possum equidem dicere me ulla in cogitatione acrius aut diligentius solere versari quam in ista ipsa, quae mihi, Laeli, a te proponitur: etenim cum in suo quemque opere artificem, qui quidem excellat, nihil aliud cogitare, meditari, curare videam nisi quo sit p. 221.] in illo gene|re melior, ego, cum mihi sit unum opus hoc a parentibus maioribusque meis relictum, procuratio atque administratio rei publicae, non me inertiorem esse confitear quam opificem quemquam, si minus in maxima arte, quam illi in minimis, operae consumpse-
36 rim? sed neque his contentus sum, quae de ista consultatione scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique p. 222.] homines reliquerunt, neque | ea, quae mihi videntur, anteferre illis audeo. quam ob rem peto a vobis ut me sic audiatis, neque ut omnino expertem Graecarum rerum neque ut eas nostris in hoc praesertim genere anteponentem, sed ut unum e togatis patris diligentia non inliberaliter institutum studioque discendi a pueritia incensum, usu tamen et domesticis praeceptis multo magis eruditum quam litteris.'

23 37 p. 223.] Hic Philus: 'non | hercule,' inquit 'Scipio, dubito quin tibi ingenio praestiterit nemo, usu quidem in re publica rerum maximarum facile omnis viceris; quibus autem studiis semper fueris tenemus. quam ob rem si, ut dicis, animum quoque contulisti in istam rationem et quasi artem, habeo maximam gratiam Laelio; spero enim multo uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, p. 224.] quae a Graecis hominibus scripta sunt omnia.'| tum ille: 'permagnam tu quidem exspectationem, quod onus est ei, qui magnis de rebus dicturus est, gravissimum, inponis orationi meae.' et Philus: 'quamvis sit

magna, tamen eam vinces, ut soles; neque enim est periculum ne te de re publica disserentem deficiat oratio.'

Hic Scipio: 'faciam quod voltis, ut potero, et iam 24 38
ingrediar in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse, si erro|rem [p. 195. velis tollere, ut eius rei, de qua quaeritur, si nomen quod sit conveniat, explicetur quid declaretur eo nomine: quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem; numquam enim quale sit illud, de quo disputabitur, intellegi poterit, nisi quid sit fuerit intellectum prius. qua re, quoniam de re publica quaerimus, hoc primum videamus, quid sit id ipsum, quod quaerimus.' |cum adprobavisset Laelius, 'nec vero' inquit [p. 196. Africanus 'ita disseram de re tam inlustri tamque nota, ut ad illa elementa revolvar, quibus uti docti homines his in rebus solent, ut a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordiar, verbisque quid sit et quot modis quidque dicatur definiam saepius; apud prudentis enim homines et in maxima re publica sum|ma cum gloria belli domique versa- [p. 61. tos cum loquar, non committam ut sit inlustrior illa ipsa res, de qua disputem, quam oratio mea: nec enim hoc suscepi, ut tamquam magister persequerer omnia, neque hoc polliceor me effecturum, ut ne qua particula in hoc sermone praetermissa sit.' tum Laelius: 'ego vero istud ipsum genus orationis, quod polliceris, exspecto.'

'Est igitur' inquit Africanus 'res publica | res [p. 62. 25 39
populi, populus autem non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus. eius autem prima causa coëundi est non tam inbecillitas quam naturalis quaedam hominum quasi congregatio; non est enim singulare nec solivagum genus hoc, sed ita generatum, ut ne in omnium quidem rerum adfluen*tia* * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

[*Quid est res publica nisi res populi? res ergo commu-* 40
nis, res utique civitatis. quid est autem civitas nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae? apud eos (*auctores Romanos*) *enim ita legitur:* brevi mul-

titudo dispersa atque vaga concordia civitas facta erat. (Augustini *epist.* 138, 10.)]

[*Urbis condendae originem atque causam non unam intuierunt, sed alii eos homines, qui sint ex terra primitus nati, cum per silvas et campos erraticam degerent vitam nec ullo inter se sermonis aut iuris vinculo cohaererent, sed frondes et herbam pro cubilibus, speluncas et antra pro domibus haberent, bestiis et fortioribus animalibus praedae fuisse commemorant. tum eos, qui aut laniati effugerant aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse, praesidium implorasse et primo nutibus voluntatem suam significasse; deinde sermonis initia temptasse ac singulis quibusque rebus nomina imprimendo paulatim loquendi perfecisse rationem. cum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam coepisse munire, vel ut quietem noctis tutam sibi facerent vel ut incursiones atque impetus bestiarum non pugnando, sed obiectis aggeribus arcerent. — — haec aliis delira visa sunt, ut fuerunt, dixeruntque non ferarum laniatus causam fuisse coëundi, sed ipsam potius humanitatem, itaque inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens et communionis ac societatis adpetens esset.* (Lactantius *Instit. div.* VI, 10.)]

26 41 p. 211.] * * * *quae*dam quasi semina, neque reliquarum virtutum nec ipsius rei publicae reperiatur ulla institutio. hi coetus igitur hac, de qua exposui, causa instituti sedem primum certo loco domiciliorum causa constituerunt, quam cum locis manuque saepsissent, eius modi coniunctionem tectorum oppidum vel urbem appellaverunt, delubris distinctam spatiisque communibus. omnis ergo populus, qui est talis coetus multitudinis, p. 212.] qualem | exposui, omnis civitas, quae est constitutio populi, omnis res publica, quae, ut dixi, populi res est, consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. id autem consilium primum semper ad eam causam refe-
42 rendum est, quae causa genuit civitatem; deinde aut uni tribuendum est aut delectis quibusdam aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. cum penes unum p. 95.] est omnium summa rerum, regem illum | unum vocamus et regnum eius rei publicae statum; cum autem

est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio
regi dicitur; illa autem est civitas popularis — sic enim
appellant —, in qua in populo sunt omnia. atque horum
trium generum quodvis, si teneat illud vinclum, quod
primum homines inter se rei publicae societate devinxit,
non perfectum illud quidem neque mea sententia opti-
mum, sed tolerabile | tamen et aliud *ut* alio possit [p. 96.
esse praestantius. nam vel rex aequus ac sapiens, vel
delecti ac principes cives, vel ipse populus, quamquam
id est minime probandum, tamen nullis interiectis ini-
quitatibus aut cupiditatibus posse videtur aliquo esse
non incerto statu. sed et in regnis nimis expertes sunt 27 43
ceteri communis iuris et consilii, et in optimatium domi-
natu vix particeps libertatis potest esse | multi- [p. 105.
tudo, cum omni consilio communi ac potestate careat,
et cum omnia per populum geruntur, quamvis iustum
atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua,
cum habet nullos gradus dignitatis: itaque si Cyrus ille
Perses iustissimus fuit sapientissimusque rex, tamen mihi
populi res — ea enim est, ut dixi antea, publica — non
maxime expetenda fuisse illa videtur, cum regeretur
unius nutu; ac | modo si Massilienses, nostri [p. 106.
clientes, per delectos et principes civis summa iustitia
reguntur, inest tamen in ea condicione populi similitudo
quaedam servitutis; si Athenienses quibusdam tempori-
bus sublato Areopago nihil nisi populi scitis ac decretis
agebant, quoniam distinctos dignitatis gradus non habe-
bat, non tenebat ornatum suum civitas. atque hoc 28 44
loquor de tribus his generibus rerum publicarum non
turbatis atque permix|tis, sed suum statum tenen- [p. 225.
tibus. quae genera primum sunt in iis singula vitiis,
quae ante dixi, deinde habent perniciosa alia vitia; nul-
lum est enim genus illarum rerum publicarum, quod
non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps
ac lubricum. nam illi regi, ut eum potissimum nomi-
nem, tolerabili aut, si voltis, etiam amabili, Cyro, subest
ad inmutandi animi licentiam crudelissimus il|le [p. 226.
Phalaris, cuius in similitudinem dominatus unius pro-
clivi cursu et facile delabitur; illi autem Massiliensium
paucorum et principum administrationi civitatis finitimus

est qui fuit quodam tempore apud Atheniensis triginta *virorum* consensus et factio. iam Atheniensium populi potestatem omnium rerum ipsi, ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam pesti * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

29 45 p. 75.] * * * | deterrimus et ex hac vel optimatium vel factiosa tyrannica illa vel regia vel etiam persaepe popularis, itemque ex ea genus aliquod ecflorescere ex illis, quae ante dixi, solet, mirique sunt orbes et quasi circumitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum; quos cum cognosse sapientis est, tum vero prospicere inpendentis in gubernanda re publica, moderantem p. 76.] cursum atque in | sua potestate retinentem, magni cuiusdam civis et divini paene est viri. itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus.'

30 46 Hic Laelius: 'scio tibi ita placere, Africane; saepe enim ex te audivi; sed tamen, nisi molestum est, ex tribus istis modis rerum publicarum velim scire quod optimum iudices. nam vel profuerit aliquid ad cog * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

31 47 p. 51.] * * * | et talis est quaeque res publica, qualis eius aut natura aut voluntas, qui illam regit. itaque nulla alia in civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet; qua quidem certe nihil potest esse dulcius et quae, si aequa non est, ne libertas quidem est. qui autem aequa potest esse, omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia servitus, sed in istis civitatibus, in quibus verbo sunt p. 52.] li|beri omnes? ferunt enim suffragia, mandant imperia, magistratus, ambiuntur, rogantur, sed ea dant [magis], quae, etiam si nolint, danda sint, et quae ipsi non habent, unde alii petunt; sunt enim expertes imperii, consilii publici, iudicii delectorum iudicum, quae familiarum vetustatibus aut pecuniis ponderantur. in libero autem populo, ut Rhodi, ut Athenis, nemo est civium qui * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

32 48 p. 175.] * * * *po*|pulo aliquis unus pluresve divitiores

opulentioresque exstitissent, tum ex eorum fastidio et superbia nata esse commemorant, cedentibus ignavis et inbecillis et adrogantiae divitum succumbentibus. si vero ius suum populi teneant, negant quicquam esse praestantius, liberius, beatius, quippe qui domini sint legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, capitis unius cuiusque, pecuniae: hanc unam | rite rem publi- [p. 176. cam, id est rem populi, appellari putant. itaque et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem populi vindicari, non ex liberis populis reges requiri aut potestatem atque opes optimatium. et vero negant 49 oportere indomiti populi vitio genus hoc totum liberi populi repudiari: concordi populo et omnia referente ad incolumitatem et ad libertatem suam nihil | esse [p. 169. inmutabilius, nihil firmius; facillimam autem in ea re publica esse concordiam, in qua idem conducat omnibus: ex utilitatis varietatibus, cum aliis aliud expediat, nasci discordias. itaque cum patres rerum potirentur, numquam constitisse civitatis statum; multo iam id in regnis minus, quorum, ut ait Ennius, 'nulla [regni] sancta societas nec fides est.' qua re cum lex sit civilis societatis vincu|lum, ius autem legis aequale, quo [p. 170. iure societas civium teneri potest, cum par non sit condicio civium? si enim pecunias aequari non placet, si ingenia omnium paria esse non possunt, iura certe paria debent esse eorum inter se, qui sunt cives in eadem re publica. quid est enim civitas nisi iuris societas? * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

| Ceteras vero res publicas ne appellandas [p. 53. 33 50 quidem putant iis nominibus, quibus illae sese appellari velint. cur enim regem appellem, Iovis optimi nomine, hominem dominandi cupidum aut imperii singularis, populo oppresso dominantem, non tyrannum potius? tam enim esse clemens tyrannus quam [rex] inportunus potest, ut hoc populorum intersit, utrum comi domino an aspero serviant; quin serviant | quidem fieri non [p. 54. potest. quo autem modo adsequi poterat Lacedaemo illa tum, cum praestare putabatur disciplina rei publicae, ut bonis uteretur iustisque regibus, cum esset habendus rex quicumque genere regio natus esset? nam optimatis

quidem quis ferat, qui non populi concessu, sed suis co-
mitiis hoc sibi nomen adrogaverunt? qui enim iudicatur
iste optimus? doctrina, artibus, studiis * *

[*Desiderantur paginae quattuor.*]

31 51 p. 179.] * * * | si fortuito id faciet, tam cito evertetur
quam navis, si e vectoribus sorte ductus ad gubernacula
accesserit. quod si liber populus deliget quibus se com-
mittat, deligetque, si modo salvus esse volt, optimum
quemque, certe in optimorum consiliis posita est civita-
tium salus, praesertim cum hoc natura tulerit, non solum
ut summi virtute et animo praeesse inbecillioribus, sed
p. 180.] ut hi etiam parere summis velint. verum hunc op|ti-
mum statum pravis hominum opinionibus eversum esse
dicunt, qui ignoratione virtutis, quae cum in paucis est,
tum a paucis iudicatur et cernitur, opulentos homines et
copiosos et genere nobili natos esse optimos putant: hoc
errore volgi cum rem publicam opes paucorum, non vir-
tutes tenere coeperunt, nomen illi principes optimatium
p.117.] mordicus tenent, re autem carent. nam divitiae,|no-
men, opes vacuae consilio et vivendi atque aliis impe-
randi modo dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae,
nec ulla deformior species est civitatis quam illa, in qua
52 opulentissimi optimi putantur. virtute vero gubernante
rem publicam quid potest esse praeclarius? cum is, qui
imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati, cum quas ad res
p. 118.] civis instituit et vocat, eas omnis conplexus est | ipse,
nec leges inponit populo, quibus ipse non pareat, sed
suam vitam ut legem praefert suis civibus: qui si unus
satis omnia consequi posset, nihil opus esset pluribus;
si universi videre optimum et in eo consentire possent,
nemo delectos principes quaereret. difficultas ineundi
consilii rem a rege ad pluris, error et temeritas populo-
rum a multitudine ad paucos transtulit. sic inter *in*fir-
p. 233.] mitatem uni|us temeritatemque multorum me-
dium optimates possederunt locum, quo nihil potest esse
moderatius: quibus rem publicam tuentibus beatissimos
esse populos necesse est vacuos omni cura et cogitatione
aliis permisso otio suo, quibus id tuendum est neque
committendum ut sua commoda populus neglegi a prin-
53 cipibus putet. nam aequabilitas quidem iuris, quam

amplexantur liberi populi, neque servari potest — ipsi
enim | populi, quamvis soluti ecfrenatique sint, [p. 234.
praecipue multis multa tribuunt et est in ipsis magnus
dilectus hominum et dignitatum — eaque quae appella-
tur aequabilitas iniquissimast: cum enim par habetur
honos summis et infimis, qui sint in omni populo ne-
cesse est, ipsa aequitas iniquissimast; quod in iis civita-
tibus, quae ab optimis reguntur, accidere non potest.
haec fere, Laeli, et quaedam eius|dem generis [p. 235.
ab iis, qui eam formam rei publicae maxime laudant,
disputari solent.'

Tum Laelius: 'quid tu,' inquit 'Scipio, e tribus istis 35 54
quod maxime probas?' 'recte quaeris, quod maxime e
tribus, quoniam eorum nullum ipsum per se separatum
probo anteponoque singulis illud, quod conflatum fuerit
ex omnibus. sed si unum ac simplex *pro*bandum *sit*,
regium *pro*bem .... pri .... in ....
.... | hoc loco appellatur, occurrit nomen quasi [p. 236.
patrium regis, ut ex se natis, ita consulentis civibus et
eos conservantis stu*dios*ius quam *redig*entis .... tem
.... is .... tibus .... u|os sus-
tentari unius optimi et summi viri diligentia. adsunt 55
optimates, qui se melius hoc idem facere profiteantur
plusque fore dicant in pluribus consilii quam in uno et
ean|dem tamen aequitatem et fidem. ecce autem [p. 131.
maxima voce clamat populus neque se uni neque paucis
velle parere; libertate ne feris quidem quicquam esse
dulcius; hac omnes carere, sive regi sive optimatibus
serviant. ita caritate nos capiunt reges, consilio opti-
mates, libertate populi, ut in comparando difficile ad
eligendum sit quid maxime velis.' 'credo,' inquit 'sed
expediri | quae restant vix poterunt, si hoc in- [p. 132.
cohatum reliqueris.'

'Imitabor ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere 36 56
exordiens a Iove incipiendum putat.' 'quo Iove? aut
quid habet illius carminis simile haec oratio?' 'tantum,'
inquit 'ut rite ab eo dicendi principia capiamus, quem
unum omnium deorum et hominum regem esse omnes
docti indoctique consentiunt.' 'quid?' inquit Laelius.
et ille: 'quid censes nisi quod est | ante ocu- [p. 165.

los? sive haec ad utilitatem vitae constituta sunt a principibus rerum publicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo, qui nutu, ut ait, totum Olympum converteret idemque et rex et pater haberetur omnium, magna auctoritas est multique testes, si quidem omnis multos appellari placet, ita consensisse gentis, decretis videlicet p. 166.] principum, nihil esse rege melius, quo|niam deos omnis censent unius regi numine: sive haec in errore inperitorum posita esse et fabularum similia didicimus, audiamus communis quasi doctores eruditorum hominum, qui tamquam oculis illa viderunt, quae nos vix audiendo cognoscimus.' 'quinam' inquit Laelius 'isti sunt?' et ille: 'qui natura omnium rerum pervestiganda senserunt omnem hunc mundum mente * * *

[*Desiderantur paginae quattuor.*]

57 [*Plato monarchiam adserit, unum deum dicens, a quo sit mundus instructus et mirabili ratione perfectus. Aristoteles, auditor eius, unam esse mentem, quae mundo praesideat, confitetur. Antisthenes unum esse dicit naturalem deum, totius summae gubernatorem. longum est recensere, quae de summo deo vel Thales vel Pythagoras et Anaximenes antea vel postmodum Stoici, Cleanthes et Chrysippus et Zenon, vel nostrorum Seneca Stoicos secutus et ipse Tullius praedicaverint, cum hi omnes et quid sit deus definire tentaverint et ab eo solo regi mundum adfirmaverint, nec ulli subiectum esse naturae, cum ab ipso sit omnis natura generata. Hermes, qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus meruit nominari, qui et doctrinae vetustate philosophos antecessit quique apud Aegyptios ut deus colitur, maiestatem dei singularis infinitis adserens laudibus dominum et patrem nuncupat* etc. (Lactantius *Epit.* c. 4.)]

37 58 * * * | Sed si vis, Laeli, dabo tibi testis nec [p. 99. nimis antiquos nec ullo modo barbaros.' 'istos' inquit 'volo.' 'videsne igitur minus quadringentorum annorum esse hanc urbem, ut sine regibus sit?' 'vero minus.' 'quid ergo? haec quadringentorum annorum aetas ut urbis et civitatis num valde longa est?' 'ista vero' inquit 'adulta vix.' 'ergo his annis quadringentis Romae rex p. 100.] erat?' 'et superbus quidem.' | 'quid supra?' 'iustissimus, et deinceps retro usque ad Romulum, qui

ab hoc tempore anno sescentesimo rex erat.' 'ergo ne
iste quidem pervetus?' 'minime, ac prope senescente
iam Graecia.' 'cedo num barbarorum Romulus rex fuit?'
'si, ut Graeci dicunt omnis aut Graios esse aut barba-
ros, vereor ne barbarorum rex fuerit; sin id nomen
moribus dandum est, non linguis, non Graecos mi-
nus | barbaros quam Romanos puto.' et Scipio: [p. 153.
'atqui ad hoc, de quo agitur, non quaerimus gentem,
ingenia quaerimus; si enim et prudentes homines et non
veteres reges habere voluerunt, utor neque perantiquis
neque inhumanis ac feris testibus.'

Tum Laelius: 'video te, Scipio, testimoniis satis in- 38 59
structum, sed apud me ut apud bonum iudicem argu-
menta plus quam testes valent.' | tum Scipio: [p. 154.
'utere igitur argumento, Laeli, tute ipse sensus tui.'
'cuius' inquit ille 'sensus?' 'si quando [si forte] tibi
visus es irasci alicui',—'ego vero saepius quam vellem.'
—'quid? tum, cum tu es iratus, permittis illi iracundiae
dominatum animi tui?' 'non, me hercule,' inquit 'sed
imitor Archytam illum Tarentinum, qui cum ad villam
venisset et omnia aliter offendisset ac iusserat, "a te in-
felicem," in|quit vilico "quem necassem iam ver- [p. 265.
beribus, nisi iratus essem."' 'optime,' inquit Scipio. 60
'ergo Archytas iracundiam videlicet dissidentem a ra-
tione seditionem quandam ab animo re*movendam* duce-
bat; adde avaritiam, adde imperii, adde gloriae cupidi-
tatem, adde libidines. et illud vides, in animis hominum
regale si imperium sit, unius fore dominatum, consilii
scilicet — ea est enim animi pars op|tima —, [p. 266.
consilio autem dominante nullum esse libidinibus, nul-
lum irae, nullum temeritati locum.' 'sic' inquit 'est.'
'probas igitur animum ita adfectum?' 'nihil vero' inquit
'magis.' 'ergo non probares, si consilio pulso libidi-
nes, quae sunt innumerabiles, iracundiaeve tenerent
omnia.' 'ego vero nihil isto animo, nihil ita animato
homine | miserius ducerem.' 'sub regno igitur [p. 267.
tibi esse placet omnis animi partis et eas regi consilio?'
'mihi vero sic placet.' 'cur igitur dubitas quid de re
publica sentias? in qua, si in pluris translata res
sit, intellegi iam licet nullum fore quod praesit im-

perium, quod quidem, nisi unum sit, esse nullum
39 potest.'
61 Tum Laelius: 'quid, quaeso, interest inter unum et
p. 268.] pluris, si iustitia est in pluribus?' et Scipio: | 'quoniam testibus meis intellexi, Laeli, te non valde moveri, non desinam te uti teste, ut hoc, quod dico, probem.' 'me' inquit ille 'quonam modo?' 'quia animum adverti nuper, cum essemus in Formiano, te familiae valde interdicere ut uni dicto audiens esset.' 'quippe vilico.' 'quid domi? pluresne praesunt negotiis tuis?' 'immo vero unus' inquit. 'quid? totam domum num quis alter praeter te regit?' 'minime vero.' 'quin tu igitur
p. 159.] con|cedis idem in re publica, singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos?' 'adducor, in-
40
62 quit, ut prope modum adsentiar.' et Scipio: 'tum magis adsentiare, Laeli, si, ut omittam similitudines, uni gubernatori, uni medico, si digni modo sint iis artibus, rectius esse alteri navem committere, aegrum alteri, quam multis, ad maiora pervenero.' 'quaenam ista
p. 160.] sunt?' 'quid? tu non vides unius in|portunitate et superbia Tarquinii nomen huic populo in odium venisse regium?' 'video vero,' inquit. 'ergo etiam illud vides, de quo progrediente oratione plura me dicturum puto, Tarquinio exacto mira quadam exsultasse populum insolentia libertatis: tum exacti in exsilium innocentes, tum bona direpta multorum, tum annui consules, tum demissi populo fasces, tum provocationes om-
p. 101.] ni|um rerum, tum secessiones plebei, tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia.' 'est,'
63 inquit 'ut dicis.' 'est vero' inquit Scipio 'in pace et otio; licet enim lascivire, dum nihil metuas, ut in navi ac saepe etiam in morbo levi. sed ut ille, qui navigat, cum subito mare coepit horrescere, et ille aeger ingravescente morbo unius opem inplorat, sic noster populus
p. 102.] in pace et domi imperat et ipsis magistratibus | minatur, recusat, appellat, provocat, in bello sic paret ut regi; valet enim salus plus quam libido. gravioribus vero bellis etiam sine collega omne imperium nostri penes singulos esse voluerunt, quorum ipsum nomen vim suae potestatis indicat; nam dictator quidem ab eo

appellatur, quia dicitur, sed in nostris libris vides eum, Laeli, magistrum populi appellari.' 'video,' inquit. et Scipio: 'sapienter igitur illi vete*res* * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 149.] * * * | iusto quidem rege cum est populus or- 41 61
batus, 'pectora diu tenet desiderium,' sicut ait Ennius, post optimi regis obitum;

simul inter
sese sic memorant: o Romule, Romule die,
qualem te patriae custodem di genuerunt!
o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum!

non eros nec dominos appellabant eos, quibus iuste paruerunt, denique ne reges quidem, sed patriae custodes, sed patres, sed deos. nec sine causa; quid | enim [p. 150. adiungunt?

tu produxisti nos intra luminis oras.

vitam, honorem, decus sibi datūm esse iustitia regis existimant. mansisset eadem voluntas in eorum posteris, si regum similitudo permansisset, sed vides unius iniustitia concidisse genus illud totum rei publicae.' 'video vero' inquit 'et studeo cursus istos mutationum | non [p. 147. magis in nostra quam in omni re publica noscere.'

Et Scipio: 'est omnino, cum de illo genere rei pu- 42 65
blicae, quod maxime probo, quae sentio dixero, accuratius mihi dicendum de commutationibus rerum publicarum, etsi minime facile eas in ea re publica futuras puto. sed huius regiae prima et certissima est illa mutatio: cum rex iniustus esse coepit, perit illud ilico genus, et est idem ille tyrannus, deterrimum | genus et [p. 148. finitimum optimo; quem si optimates oppresserunt, quod ferme evenit, habet statum res publica de tribus secundarium, est enim quasi regium, id est patrium consilium populo bene consulentium principum; sin per se populus interfecit aut eiecit tyrannum, est moderatior, quoad sentit et sapit, et sua re gesta laetatur tuerique volt per se constitutam rem publicam. si quando aut regi iusto vim populus | attulit regnove eum spoliavit, aut [p. 243. etiam, id quod evenit saepius, optimatium sanguinem gustavit ac totam rem publicam substravit libidini suae — cave putes autem mare ullum aut flammam esse tan-

tam, quam non facilius sit sedare quam effrenatam inso-
lentia multitudinem —, tum fit illud, quod apud Plato-
nem est luculente dictum, si modo id exprimere latine
p. 244.] potuero; difficile factu | est, sed conabor tamen.
43 66 cum enim, inquit, inexplebiles populi fauces exaruerunt
libertatis siti malisque usus ille ministris non modice
temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hau-
sit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes et
remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur,
insimulat, arguit; praepotentis, reges, tyrannos vocat.
p. 151.] puto enim tibi haec esse nota.' 'vero mihi' in|quit
67 ille 'notissima.' 'ergo illa sequuntur: eos, qui pareant
principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios
appellari; eos autem, qui in magistratu privatorum simi-
les esse velint, eosque privatos, qui efficiant ne quid
inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus
et mactant honoribus, ut necesse sit in eius modi re
publica plena libertatis esse omnia, ut et privata domus
p. 152.] omnis vacet domina|tione et hoc malum usque
ad bestias perveniat, denique ut pater filium metuat,
filius patrem neglegat, absit omnis pudor, ut plane liberi
sint, nihil intersit civis sit an peregrinus; magister ut
discipulos metuat et iis blandiatur spernantque discipuli
magistros, adulescentes ut senum sibi pondus adsumant,
senes autem ad ludum adulescentium descendant, ne
sint iis odiosi et graves: ex quo fit ut etiam servi se
p. 161.] liberius | gerant, uxores eodem iure sint quo
viri inque tanta libertate canes etiam et equi, aselli de-
nique liberi sic incurrant, ut iis de via decedendum sit.
ergo ex hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur,
ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut,
si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre
nequeant; ex quo leges quoque incipiunt neglegere, ut
44 68 p. 162.] plane sine ullo domino sint.' tum Laelius: | 'pror-
sus' inquit 'expressa sunt a te quae dicta sunt ab illo.'
'atque, ut iam ad sermonis mei auctorem revertar, ex
hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ait
ille ut ex stirpe quadam exsistere et quasi nasci tyran-
num; nam ut ex nimia potentia principum oritur interi-
tus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas

ipsa servitute adficit. sic omnia nimia, cum vel in tem-
pesta|te vel in agris vel in corporibus laetiora [p. 257.
fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque *id* in
rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis
et privatis in nimiam servitutem cedit; itaque ex hac
maxima libertate tyrannus gignitur et illa iniustissima et
durissima servitus. ex hoc enim populo indomito vel
potius inmani deligitur aliqui plerumque dux contra illos
principes ad|flictos iam et depulsos loco, audax, [p. 258.
inpurus, consectans proterve bene saepe de re publica
meritos, populo gratificans et aliena et sua; cui quia
privato sunt oppositi timores, dantur imperia et ea con-
tinuantur, praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, sae-
piuntur, postremo, a quibus producti sunt, exsistunt
eorum ipsorum tyranni: quos si boni oppresserunt, ut
saepe fit, recreatur civitas, sin audaces, fit il|la [p. 133.
factio, genus aliud tyrannorum, eademque oritur etiam
ex illo saepe optimatium praeclaro statu, cum ipsos prin-
cipes aliqua pravitas de via deflexit. sic tamquam pilam
rapiunt inter se rei publicae statum tyranni ab regibus,
ab iis autem principes aut populi, a quibus aut factiones
aut tyranni, nec diutius umquam tenetur idem rei publi-
cae modus. quod ita cum sit, *ex* tribus primis generi- 45 69
bus longe praestat mea sententia regium, | regio [p. 134.
autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et tempe-
ratum ex tribus optimis rerum publicarum modis; placet
enim esse quiddam in re publica praestans et regale,
esse aliud auctoritati principum inpartitum ac tributum,
esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitu-
dinis. haec constitutio primum habet aequabilitatem
quandam magnam, qua carere diutius vix possunt li-
be|ri, deinde firmitudinem. quod et illa prima [p. 163.
facile in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege
dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et con-
fusio, quodque ipsa genera generibus saepe conmutantur
novis, hoc in hac iuncta moderateque permixta con-
formatione rei publicae non ferme sine magnis prin-
cipum vitiis evenit; non est enim causa conversionis,
ubi in suo | quisque est gradu firmiter conloca- [p. 164.
tus et non subest quo praecipitet ac decidat.

46 70 Sed vereor, Laeli vosque homines amicissimi ac prudentissimi, ne, si diutius in hoc genere verser, quasi praecipientis cuiusdam et docentis et non vobiscum simul considerantis esse videatur oratio mea; quam ob rem ingrediar in ea, quae nota sunt omnibus, quaesita p. 177.] autem a nobis iam diu: sic enim decerno, sic | sentio, sic adfirmo, nullam omnium rerum publicarum aut constitutione aut discriptione aut disciplina conferendam esse cum ea, quam patres nostri nobis acceptam iam inde a maioribus reliquerunt; quam, si placet, quoniam ea, quae tenebatis ipsi, etiam ex me audire voluistis, simul et qualis sit et optimam esse ostendam expositaque p. 178.] ad exemplum nostra re publica accommo|dabo ad eam, si potero, omnem illam orationem, quae est mihi habenda de optimo civitatis statu. quod si tenere et consequi potuero, cumulate munus hoc, cui me Laelius praeposuit, ut opinio mea fert, effecero.'

47 71 Tum Laelius: 'tuum vero,' inquit 'Scipio, ac tuum quidem unius; quis enim te potius aut de maiorum dixerit institutis, cum sis clarissimis ipse maioribus, aut de p. 155.] optimo statu civitatis, quem | si habeamus, etsi ne nunc quidem, tunc vero quis te possit esse florentior? aut de consiliis in posterum providendis, cum tu duobus huius urbis terroribus depulsis in omne tempus prospexeris?

LIBRI PRIMI DE RE PUBLICA FRAGMENTA INCERTAE SEDIS.

1. *Praeterea est quaedam publica etiam eruditorum reiectio; utitur illa et M. Tullius, extra omnem ingenii aleam positus, et, quod miremur, per advocatum defenditur:*

nec doctissimis:
Manium Persium haec legere nolo, Iunium Congum volo.

quod si hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putavit, si Cicero mutuandum, praesertim cum

de re publica scriberet, quanto nos causatius ab aliquo iudice detendimus? (Plinius *nat. hist.* Praef. §. 7 sq.)

2. *Cicero de re publ. I:* Sic, quoniam plura beneficia continet patria et est antiquior parens quam is qui creavit, maior ei profecto quam parenti debetur gratia. (Nonius v. *antiquus* p. 426.)

3. *Cicero de re publ. lib. I:* nec tantum Karthago habuisset opum sescentos fere annos sine consiliis et disciplina. (Nonius lib. XII, pag. 526.)

4. *M. Tullius de re publ. lib. I:* cognoscere me hercule, inquit, consuetudinem istam et studium sermonemque -- (Nonius v. *cognoscere* pag. 276.)

5. *Non ergo utilitatem ex philosophia, sed oblectationem petunt, quod quidem Cicero testatus est:* Profecto, *inquit,* omnis istorum disputatio, quamquam uberrimos fontis virtutis et scientiae continet, tamen conlata cum eorum actis perfectisque rebus vereor ne non tantum videatur attulisse negotii hominibus quantam oblectationem. (Lactantius *Instit. div.* III, 16.)

6. *'Avocat ab illa re.' Cic. de re publ. lib. I:* a qua isti avocabant. (Arusianus Messius p. 216 Lind.)

M. TULLII CICERONIS
DE RE PUBLICA
LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Hoc libro Africanus Catonis confirmat sententiam, Romanorum rem publicam ceteris praestare civitatibus, quod non subito unius hominis arbitrio, sed complurium deinceps virorum consilio, pietate, virtute sit constituta. Qua mente enarrat quibus illa civitas auspiciis a Romulo condita sit et quibus beneficiis, artibus praesidiisque ab eodem ceterisque regibus aucta et firmata (c. 1—22), tyrannidis impatiens, tandem excusso Tarquinii iugo se in libertatem vindicaverit (c. 23—27). Iam exposita tyrannidis natura (c. 28. 29) Scipio non minimae, qualem Plato cogitatione finxerit, sed maximae, quae vere fuerit, Romanorum civitatis imaginem adumbrando novam se disputandi viam ingredi profitetur (c. 30). Hinc proposito P. Valerii Publicolae exemplo, paulo post reges exactos quater consulis, quanta primo tempore senatorum, consulum, dictatorum auctoritas et quam modica populi libertas fuerit paucis significat (c. 31. 32). Mox plebem aere alieno pressam et a patriciis vexatam prima in montem sacrum secessione facta Postumo Cominio Sp. Cassio coss. (a. u. c. 261) plus iuris adeptam esse constituta potestate tribunicia (c. 33 sq.), populum autem tanto tuendae libertatis studio flagrasse, ut Sp. Cassium regnum appetentem ipse pater occiderit (a. u. c. 300) et plebes potestatis decemviralis libidine exacerbata iterum (a. u. c. 304) in montem sacrum secesserit (c. 35—37). Iam enarrata rerum Romanarum historia Scipio Tuberoni urguenti se de conservandae rei publicae rationibus disputaturum pollicetur (c. 38 sqq.).

---

1 p. 275.] *Cum omnes flagrarent cupidi*|tate audiendi, in-
1 gressus est sic loqui Scipio: ‘Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexi maximeque sum admiratus, cuique vel patris utriusque iudicio vel etiam meo studio me totum ab adulescentia dedidi, cuius me numquam satiare potuit oratio: tantus erat in homine usus rei publicae, quam et domi et militiae cum optime tum

etiam | diutissime gesserat, et modus in dicendo, [p. 276.
et gravitate mixtus lepos, et summum vel discendi studium vel docendi et orationi vitâ admodum congruens.
is dicere solebat ob hanc causam praestare nostrae civi- 2
tatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis | suis, ut Cretum Minos, [p. 277.
Lacedaemoniorum Lycurgus, Atheniensium, quae persaepe commutata esset, tum Theseus, tum Draco, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi alii, postremo exsanguem iam et iacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius, nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. nam | neque [p. 278.
ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset, neque cuncta ingenia conlata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia conplecterentur sine rerum usu ac vetustate. quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea re- 3
petet oratio populi Romani originem; libenter enim etiam verbo utor Catonis. facilius autem quod est propositum | consequar, si nostram rem publicam [p. 287.
vobis et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam ostendero, quam si mihi aliquam, ut apud Platonem Socrates, ipse finxero.'

Hoc cum omnes adprobavissent, 'quod habemus' in- 2 4
quit 'institutae rei publicae tam clarum ac tam omnibus notum exordium quam huius urbis condendae principium profectum a Romulo? qui patre Marte natus — conce|damus enim famae hominum, praesertim non [p. 288.
inveteratae solum, sed etiam sapienter a maioribus proditae, bene meriti de rebus communibus ut genere etiam putarentur, non solum ingenio esse divino — is igitur, ut natus sit, cum Remo fratre dicitur ab Amulio rege Albano ob labefactandi regni timorem ad Tiberim exponi iussus esse: quo in loco cum esset silvestris beluae | sustentatus uberibus pastoresque eum [p. 289.
sustulissent et in agresti cultu laboreque aluissent, perhibetur, ut aduleverit, et corporis viribus et animi ferocitate tantum ceteris praestitisse, ut omnes, qui tum eos

agros, ubi hodie est haec urbs, incolebant, aequo animo
illi libenterque parerent; quorum copiis cum se ducem
praebuisset, ut iam a fabulis ad facta veniamus, op-
pressisse Longam Albam, validam urbem et poten-
p. 290.] tem | temporibus illis, Amuliumque regem intere-
3 5 misse fertur. qua gloria parta urbem auspicato condere
et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam.
urbi autem locum, quod est ei, qui diuturnam rem pu-
blicam serere conatur, diligentissime providendum, in-
credibili opportunitate delegit; neque enim ad mare ad-
movit, quod ei fuit illa manu copiisque facillimum ut in
p. 157.] agrum Rutulorum Aboriginum|que procederet,
aut in ostio Tiberino, quem in locum multis post annis
rex Ancus coloniam deduxit, urbem ipse conderet, sed
hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit, non esse
opportunissimos situs maritimos urbibus eis, quae ad
spem diuturnitatis conderentur atque imperii, primum
quod essent urbes maritimae non solum multis periculis
6 p. 158.] oppositae, sed etiam | caecis. nam terra continens
adventus hostium non modo exspectatos, sed etiam repen-
tinos multis indiciis et quasi fragore quodam et sonitu
ipso ante denuntiat; neque vero quisquam potest hostis
advolare terra, quin eum non modo esse, sed etiam quis
et unde sit scire possimus. maritimus vero ille et nava-
lis hostis ante adesse potest, quam quisquam ventu-
rum esse suspicari queat; nec vero, cum venit, prae
p. 167.] se | fert aut quis sit aut unde veniat aut etiam
quid velit, denique ne nota quidem ulla pacatus an
4 7 hostis sit discerni ac iudicari potest. est autem mariti-
mis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio mo-
rum: admiscentur enim novis sermonibus ac disciplinis et
inportantur non merces solum adventiciae, sed etiam mo-
p. 168.] res, ut nihil possit in patriis institutis manere in|te-
grum. iam qui incolunt eas urbis, non haerent in suis
sedibus, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur
a domo longius, atque etiam cum manent corpore, animo
tamen exsulant et vagantur. nec vero ulla res magis
labefactatam diu et Karthaginem et Corinthum pervertit
aliquando quam hic error ac dissipatio civium, quod
[p. 227.] mercandi cupiditate et navi|gandi et agrorum

et armorum cultum reliquerant. multa etiam ad luxu- 8
riam invitamenta perniciosa civitatibus subpeditantur
mari, quae vel capiuntur vel inportantur, atque habet
iam amoenitas ipsa vel sumptuosas vel desidiosas inlece-
bras multas cupiditatum. et quod de Corintho dixi, id
haud scio an liceat de cuncta Graecia verissime dicere;
nam et ipsa Peloponnesus fere tota in mari est, | [p. 228.
nec praeter Phliuntios ulli sunt, quorum agri non con-
tingant mare, et extra Peloponnesum Aenianes et Doris
et Dolopes soli absunt a mari. quid dicam insulas
Graeciae? quae fluctibus cinctae natant paene ipsae si-
mul cum civitatum institutis et moribus. atque haec 9
quidem, ut supra dixi, veteris sunt Graeciae; coloniarum
vero quae est deducta a Graiis in Asiam, Thracam, Ita-
liam, Siciliam, Africam praeter unam Magnesiam,
quam unda non adluat? ita barbarorum agris quasi
attexta | quaedam videtur ora esse Graeciae. [p. 229.
nam e barbaris quidem ipsis nulli erant antea maritumi
praeter Etruscos et Poenos, alteri mercandi causa, latro-
cinandi alteri; quae causa perspicua est malorum com-
mutationumque Graeciae propter ea vitia maritimarum
urbium, quae ante paulo perbreviter attigi. sed tamen
in his vitiis inest illa magna commoditas, et quod ubi-
que gentium | est ut ad eam urbem, quam in- [p. 230.
colas, possit adnare, et rursus ut id, quod agri efferant
sui, quascumque velint in terras portare possint ac mit-
tere. qui potuit igitur divinius et utilitates conplecti 5 10
maritimas Romulus et vitia vitare, quam quod urbem
perennis amnis et aequabilis et in mare late influentis
posuit in ripa, quo posset urbs et accipere ex mari quo
egeret et reddere quo redundaret, | eodemque [ut] [p. 231.
flumine res ad victum cultumque maxime necessarias
non solum mari absorberet, sed etiam invectas acciperet
ex terra? ut mihi iam tum divinasse ille videatur hanc ur-
bem sedem aliquando et domum summo esse imperio prae-
bituram: nam hanc rerum tantam potentiam non ferme
facilius ulla in parte Italiae posita urbs tenere potuisset.

Urbis autem ipsius nativa praesidia quis | est [p. 232. 6 11
tam neglegens, qui non habeat animo notata *ac* plane
cognita? cuius is est tractus ductusque muri cum Ro-

muli tum etiam reliquorum regum sapientia definitus ex
omni parte arduis praeruptisque montibus, *ut* unus adi-
tus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem,
maximo aggere obiecto fossa cingeretur vastissima, at-
p. 261.] que ut ita munita arx circumiectu arduo et qua|si
circumciso saxo niteretur, ut etiam in illa tempestate
horribili Gallici adventus incolumis atque intacta per-
manserit. locumque delegit et fontibus abundantem et
in regione pestilenti salubrem; colles enim sunt, qui cum
7 12 perflantur ipsi, tum adferunt umbram vallibus. atque
haec quidem perceleriter confecit: nam et urbem con-
stituit, quam e suo nomine Romam iussit nominari, et
p. 262.] ad firman|dam novam civitatem novum quod-
dam et subagreste consilium, sed ad muniendas opes
regni ac populi sui magni hominis et iam tum longe
providentis secutus est, cum Sabinas honeste ortas vir-
gines, quae Romam ludorum gratia venissent, quos
tum primum anniversarios in circo facere instituisset,
[Consualibus] rapi iussit easque in familiarum amplissi-
13 p. 271.] marum | matrimoniis conlocavit. qua ex causa
cum bellum Romanis Sabini intulissent proeliique certa-
men varium atque anceps fuisset, cum T. Tatio rege
Sabinorum foedus icit, matronis ipsis, quae raptae erant,
orantibus; quo foedere et Sabinos in civitatem adscivit
sacris communicatis et regnum suum cum illorum rege
8 14 sociavit. post interitum autem Tatii cum ad eum po-
p. 272.] tentatus omnis reccidisset, | quamquam cum
Tatio in regium consilium delegerat principes, qui ap-
pellati sunt propter caritatem patres, populumque et suo
et Tatii nomine et Lucumonis, qui Romuli socius in
Sabino proelio occiderat, in tribus tris curiasque triginta
discripserat, quas curias earum nominibus nuncupavit,
quae ex Sabinis virgines raptae postea fuerant oratrices
pacis et foederis; sed quamquam ea Tatio sic erant
p. 237.] | discripta vivo, tamen eo interfecto multo etiam
magis Romulus patrum auctoritate consilioque regnavit.
9 15 Quo facto primum vidit iudicavitque idem, quod
Spartae Lycurgus paulo ante viderat, singulari imperio
et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates,
si esset optimi cuiusque ad illam vim dominationis ad-

iuncta auctoritas. itaque hoc consilio et senatu quasi
fultus | et munitus et bella cum finitimis felicis- [p. 238.
sime multa gessit et, cum ipse nihil ex praeda domum
suam reportaret, locupletare civis non destitit. tunc, id 16
quod retinemus hodie magna cum salute rei publicae,
auspiciis plurimum obsecutus est Romulus. nam et ipse,
quod principium rei publicae fuit, urbem condidit auspi-
cato et omnibus publicis rebus instituendis, qui sibi es-
sent in auspiciis, ex singulis tribubus singu|los [p. 239.
cooptavit augures; et habuit plebem in clientelas princi-
pum discriptam, quod quantae fuerit utilitati, post vi-
dero, multaeque dictione ovium et boum — quod tum
erat res in pecore et locorum possessionibus, ex quo pe-
cuniosi et locupletes vocabantur —, non vi et suppliciis
coërcebat.

Ac Romulus cum septem et triginta regnavisset an- 10 17
nos et haec egregia duo firmamenta rei publicae peperis-
set, | auspicia et senatum, tantum est consecutus, [p. 240.
ut, cum subito sole obscurato non conparuisset, deorum
in numero conlocatus putaretur: quam opinionem nemo
umquam mortalis adsequi potuit sine eximia virtutis glo-
ria. atque hoc eo magis est in Romulo admirandum, 18
quod ceteri, qui di ex hominibus facti esse dicuntur, mi-
nus eruditis hominum saeculis fuerunt, ut fin|gendi [p. 241.
proclivis esset ratio, cum inperiti facile ad credendum
inpellerentur; Romuli autem aetatem minus his sescentis
annis, iam inveteratis litteris atque doctrinis omnique illo
antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse
cernimus. nam si, id quod Graecorum investigatur an-
nalibus, Roma conditast secundo anno Olympiadis septu-
mae, in id saeculum Romuli cecidit aetas, cum | iam [p. 242.
plena Graecia poëtarum et musicorum esset minorque
fabulis nisi de veteribus rebus haberetur fides. nam
centum et octo annis postquam Lycurgus leges scribere
instituit, prima posita est Olympias, quam quidam no-
minis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant;
Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi aetati
triginta annis anteponunt fere: ex quo intellegi potest 19
permultis annis an|te Homerum fuisse quam [p. 301.
Romulum, ut iam doctis hominibus ac temporibus ipsis

eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam non numquam incondite; haec aetas autem tam exculta praesertim et prudens omne, quod fieri non potest, respuit.

20 p. 302.] | * * * us ne*pos eius*, ut di*xeru*nt quidam *e*x filia. quo *autem* ille mor*tuus*, *e*odem *est an*no na*tus Si*moni*des Oly*mpia*de se*xta et quin*quag*esima, *ut f*acilius p. 67.] *intel*legi pos*sit tu*m de Ro*mu*li inmor|talitate creditum, cum iam inveterata vita hominum ac tractata esset et cognita. sed profecto tanta fuit in eo vis ingenii atque virtutis, ut id de Romulo Proculo Iulio homini agresti crederetur, quod multis iam ante saeculis nullo alio de mortali homines credidissent: qui inpulsu patrum, quo illi a se invidiam interitus Romuli pellerent, in conp. 68.] tione dixisse fertur a se visum esse in eo colle | Romulum, qui nunc Quirinalis vocatur; eum sibi mandasse ut populum rogaret ut sibi eo in colle delubrum fieret: se deum esse et Quirinum vocari.

11 21 Videtisne igitur unius viri consilio non solum ortum novum populum neque ut in cunabulis vagientem relictum, sed adultum iam et paene puberem?' tum Laelius: 'nos vero videmus, et te quidem ingressum ratione p. 81.] ad disputandum nova, quae | nusquam est in Graecorum libris. nam princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumpsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo, praeclaram ille quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et moribus; 22 reliqui disseruerunt sine ullo certo exemplari formaque rei publicae de generibus et de rationibus civitatum: tu p. 82.] mihi videris utrumque facturus; es | enim ita ingressus, ut quae ipse reperias tribuere aliis malis quam, ut facit apud Platonem Socrates, ipse fingere, et illa de urbis situ revoces ad rationem, quae a Romulo casu aut necessitate facta sunt, et disputes non vaganti oratione, sed defixa in una re publica. qua re perge, ut instituisti: prospicere enim iam videor te reliquos reges persequente quasi perfectam rem publicam.'

12 23 p. 281.] 'Ergo' inquit Scipio 'cum ille | Romuli senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominari patriciosque eo-

rum liberos, temptaret post Romuli excessum, ut ipse
gereret sine rege rem publicam, populus id non tulit,
desiderioque Romuli postea regem flagitare non destitit:
cum prudenter illi principes novam et inauditam ceteris
gentibus interregni ineundi rationem excogi|ta- [p. 282.
verunt, ut, quoad certus rex declaratus esset, nec sine
rege civitas nec diuturno rege esset uno nec committere-
tur ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum
imperium tardior esset aut ad obtinendum munitior. quo 24
quidem tempore novus ille populus vidit tamen id, quod
fugit Lacedaemonium Lycurgum, qui regem non deli-
gendum duxit, si modo hoc in Lycurgi potestate | [p. 283.
potuit esse, sed habendum, qualiscumque is foret, qui
modo esset Herculis stirpe generatus. nostri illi etiam
tum agrestes viderunt virtutem et sapientiam regalem,
non progeniem quaeri oportere; quibus cum esse prae- 13
stantem Numam Pompilium fama ferret, praetermissis 25
suis civibus regem alienigenam patribus auctoribus sibi
ipse populus adscivit eumque ad regnandum, | Sa- [p. 284.
binum hominem, Romam Curibus accivit: qui ut huc
venit, quamquam populus curiatis eum comitiis regem
esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem
tulit, hominesque Romanos instituto Romuli bellicis stu-
diis ut vidit incensos, existimavit eos paulum ab illa
consuetudine esse revocandos. ac primum agros, quos 14
bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus | do- [p. 87. 26
cuitque sine depopulatione atque praeda posse eos co-
lendis agris abundare commodis omnibus, amoremque
eis otii et pacis iniecit, quibus facillime iustitia et fides
convalescit et quorum patrocinio maxime cultus agro-
rum perceptioque frugum defenditur. idemque Pompi-
lius et auspiciis maioribus inventis ad pristinum nume-
rum duo augures addidit et sacris e principum numero
pontifices quin|que praefecit et animos propositis [p. 88.
legibus [his], quas in monumentis habemus, ardentis
consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimo-
niis mitigavit adiunxitque praeterea flamines, Salios vir-
ginesque Vestalis, omnisque partis religionis statuit san-
ctissime. sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, 27
adparatum perfacilem esse voluit; nam quae perdiscenda

p. 69.] quaeque observanda es|sent multa constituit, sed
ea sine inpensa: sic religionibus colendis operam addidit,
sumptum removit, idemque mercatus, ludos omnisque
conveniundi causas et celebritates invenit. quibus rebus
institutis ad humanitatem atque mansuetudinem revoca-
vit animos hominum studiis bellandi iam inmanis ac fe-
p. 70.] ros. sic ille cum undequadraginta annos sum|ma
in pace concordiaque regnavisset — sequamur enim
potissimum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exqui-
rendis temporibus diligentior —, excessit e vita duabus
praeclarissimis ad diuturnitatem rei publicae rebus con-
firmatis, religione atque clementia.'

15 28 Quae cum Scipio dixisset, 'verene' inquit Manilius
'hoc memoriae proditum est, Africane, regem istum Nu-
mam Pythagorae ipsius discipulum aut certe Pythago-
p. 295.] reum fuisse? | saepe enim hoc de maioribus
natu audivimus et ita intellegimus volgo existimari, ne-
que vero satis id annalium publicorum auctoritate de-
claratum videmus.' tum Scipio 'falsum est enim, Ma-
nili,' inquit 'id totum, neque solum fictum, sed etiam
inperite absurdeque fictum; ea sunt enim demum non
ferenda in mendacio, quae non solum ficta esse, sed ne
p. 296.] fieri quidem potuisse cernimus: nam quartum | iam
annum regnante Lucio Tarquinio Superbo Sybarim et
Crotonem et in eas Italiae partis Pythagoras venisse
reperitur; Olympias enim secunda et sexagesima eadem
Superbi regni initium et Pythagorae declarat adventum.
29 ex quo intellegi regiis annis dinumeratis potest anno
fere centesimo et quadragesimo post mortem Numae
p. 39.] primum Italiam Pythagoram | attigisse, neque
hoc inter eos, qui diligentissime persecuti sunt temporum
annalis, ullast umquam in dubitatione versatum.' 'di
inmortales,' inquit Manilius 'quantus iste est hominum
et quam inveteratus error! ac tamen facile patior non
esse nos transmarinis nec inportatis artibus eruditos, sed
16 30 genuinis domesticisque virtutibus.' 'atqui multo id fa-
p. 40.] cilius cognosces,' inquit Africanus 'si | progre-
dientem rem publicam atque in optimum statum naturali
quodam itinere et cursu venientem videris; quin hoc
ipso sapientiam maiorum statues esse laudandam, quod

multa intelleges etiam aliunde sumpta meliora apud nos multo esse facta, quam ibi fuissent, unde huc translata essent atque ubi primum exstitissent, intellegesque non fortuito populum Romanum, sed consilio et disciplina confirma|tum esse nec tamen adversante fortuna. [p. 217.

Mortuo rege Pompilio Tullum Hostilium populus 17 31
regem interrege rogante comitiis curiatis creavit, isque de imperio suo exemplo Pompilii populum consuluit curiatim: cuius excellens in re militari gloria magnaeque exstiterunt res bellicae. fecitque idem et saepsit de manibiis comitium et curiam, constituitque ius quo bella indicerentur, quod per se iustissime inventum sanxit | [p. 218. fetiali religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque inpium iudicaretur. et ut advertatis animum quam sapienter iam reges hoc nostri viderint, tribuenda quaedam esse populo — multa enim nobis de eo genere dicenda sunt —, ne insignibus quidem regiis Tullus nisi iussu populi est ausus uti. nam ut sibi duodecim lictores cum fascibus anteire liceret * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

De Tullo quippe etiam Hostilio, qui tertius a Romulo 32
rex fuit, qui et ipse fulmine absumptus est, dicit in eisdem libris idem Cicero, propterea et istum non creditum in deos receptum tali morte, quia fortasse quod erat in Romulo probatum, *id est persuasum,* Romani volgare, *id est vile facere,* noluerunt, si hoc et alteri facile tribueretur. (Augustinus *de civ. dei* III, 15.)

* * * *neque* | enim serpit, sed volat in opti- [p. 171. 18 33
mum statum instituto tuo sermone res publica.' 'post eum Numae Pompilii nepos ex filia rex a populo est Ancus Marcius constitutus, itemque de imperio suo legem curiatam tulit. qui cum Latinos bello devicisset, adscivit eos in civitatem. atque idem Aventinum et Caelium montem adiunxit urbi quosque agros ceperat divisit, et silvas maritimas omnis publicavit, | quas [p. 172. ceperat, et ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit. atque ita cum tris et viginti regnavisset annos, est mortuus.' et Laelius: 'laudandus etiam iste rex, sed obscura est historia Romana, si quidem istius regis ma-

trem habemus, ignoramus patrem.' 'ita est,' inquit 'sed temporum illorum tantum fere regum inlustrata sunt nomina.

19 31 p. 173.] Sed hoc loco primum videtur insitiva quadam | disciplina doctior facta esse civitas: influxit enim non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium. fuisse enim quendam ferunt Demaratum Corinthium et honore et auctoritate et fortunis facile civitatis suae principem, qui cum Corinthiorum tyrannum Cypselum ferre non p. 174.] potuisset, fugisse cum mag|na pecunia dicitur ac se contulisse Tarquinios in urbem Etruriae florentissimam; cumque audiret dominationem Cypseli confirmatam, fugit patriam vir liber ac fortis et adscitus est civis a Tarquiniensibus atque in ea civitate domicilium et sedes conlocavit. ubi cum de matre familias Tarquiniensi duo filios procreavisset, omnibus eos artibus ad Graecorum disciplinam eru*diit* * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

20 35 p. 219.] * * * | facile in civitatem receptus esset, propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus, usque eo ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur. erat in eo praeterea summa comitas, summa in omnis civis opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas. itaque mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarp. 220.] quinius: sic enim | suum nomen ex Graeco nomine inflexerat, ut in omni genere huius populi consuetudinem videretur imitatus. isque ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit illum pristinum patrum numerum et antiquos patres maiorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat, a se adscitos mino-
36 rum. deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui p. 37.] us|que adhuc est retentus; nec potuit Titiens*i*um et Rhamnensium et Lucerum mutare, cum cuperet, nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. atque etiam Corinthios video publicis equis adsignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentis. sed tamen prioribus equitum p. 38.] partibus secundis additis ∞ ᴐᴐcccc fecit | equites

numerumque duplicavit. post[quam] bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem et rebus populi Romani imminentem. idemque Sabinos cum a moenibus urbis reppulisset, equitatu fudit belloque devicit. atque eundem primum ludos maximos, qui Romani dicti sunt, fecisse accepimus, aedemque in Capitolio Iovi optimo maximo bello Sabino in ipsa pugna vovisse facien|- [p. 31.
dam mortuumque esse, cum duo de quadraginta regnavisset annos.'

Tum Laelius: 'nunc fit illud Catonis certius, nec 21 37
temporis unius nec hominis esse constitutionem rei publicae: perspicuum est enim quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio. sed sequitur is, qui mihi videtur ex omnibus in re publica vidisse plurimum.' 'itast,' inquit Scipio. 'nam post eum Servius Tul|lius primus iniussu populi regnavisse [p. 32.
traditur, quem ferunt ex serva Tarquiniensi natum, cum esset ex quodam regis cliente conceptus. qui cum famulorum *in* numero educatus ad epulas regis adsisteret, non latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in puero: sic erat in omni vel officio vel sermone sollers. itaque Tarquinius, qui admodum parvos tum haberet liberos, sic Servium diligebat, ut is eius volgo ha|be- [p.291.
retur filius, atque eum summo studio omnibus iis artibus, quas ipse didicerat, ad exquisitissimam consuetudinem Graecorum erudiit. sed cum Tarquinius insidiis 38
Anci filiorum interisset Serviusque, ut ante dixi, regnare coepisset non iussu, sed voluntate atque concessu civium, quod, cum Tarquinius ex volnere ae|ger fuisse [p. 292.
et vivere falso diceretur, ille regio ornatu ius dixisset obaeratosque pecunia sua liberavisset, multaque comitate usus iussu Tarquinii se ius dicere probavisset, non commisit se patribus, sed Tarquinio sepulto populum de se ipse consuluit, iussusque regnare legem de imperio suo curiatam tulit. et primum Etruscorum iniurias bello est ultus, ex quo cum ma * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

* * * | duo de viginti censu maximo. deinde [p. 107. 22 39
equitum magno numero ex omni populi summa separato reliquum populum distribuit in quinque classis seniores-

que a iunioribus divisit, easque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent, curavitque, quod semper in re publica tenendum est, ne p. 108.] plurimum valeant plurimi. quae | discriptio si esset ignota vobis, explicaretur a me: nunc rationem videtis esse talem, ut equitum † certamine cum et suffragiis et prima classis addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, .VIIII. centurias — tot enim reliquae sunt — octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa, reliquaque multo maior p. 93.] multitudo sex et nonaginta centuriarum | neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret
40 nimis, ne esset periculosum. in quo etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens, qui, cum locupletis assiduos appellasset ab aere dando, eos, qui aut non plus mille quingentos aeris aut omnino nihil suum in censum praeter caput attulissent, proletarios nominavit, ut ex iis p. 94.] quasi proles, id est quasi progenies civitatis | exspectari videretur. illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures censebantur quam paene in prima classe tota. ita nec prohibebatur quisquam iure suffragii et is valebat in suffragio plurimum, cuius plurimum intererat esse in optimo statu civitatem. quin etiam accensis velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis * * *

[*Desiderantur paginae quattuor.*]

23 41 *M. Tullius de re publica lib. II.* Statuo esse optume constitutam rem publicam, quae ex tribus generibus illis, regali et optumati et populari confusa modice nec puniendo irritet animum inmanem ac ferum . . . (Nonius s. v. *modicum* p. 342.)

42 p. 45.] * * * *quinque et* | sexaginta annis antiquior, quod erat XXXVIIII. ante primam Olympiadem condita. et antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere. itaque ista aequabilitas atque hoc triplex rerum publicarum genus videtur mihi commune nobis cum illis populis fuisse. sed quod propriumst in nostra re publica, quo nihil possit esse praeclarius, id persequar, si potero, subtilius, p. 46.] quod erit eius | modi, nihil ut tale ulla in re publica reperiatur. haec enim, quae adhuc exposui, ita

mixta fuerunt et in hac civitate et in Lacedaemoniorum
et in Karthaginiensium, ut temperata nullo fuerint modo.
nam in qua re publica est unus aliquis perpetua pote- 43
state, praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus, ut
tum fuit Romae, cum erant reges, ut Spartae Lycurgi
legibus, et sit aliquod etiam populi | ius, ut fuit [p. 145.
apud nostros reges, tamen illud excellit regium nomen,
neque potest eius modi res publica non regnum et esse
et vocari. ea autem forma civitatis mutabilis maxime
est hanc ob causam, quod unius vitio praecipitata in
perniciosissimam partem facillime decidit. nam ipsum
regale genus civitatis non modo non est reprehendendum,
sed haud scio an reliquis | simplicibus longe [p. 146.
anteponendum, si ullum probarem simplex rei publicae
genus, sed ita, quoad statum suum retinet. is est autem
status, ut unius perpetua potestate et iustitia omnique
sapientia regatur salus et aequabilitas et otium civium.
desunt omnino ei populo multa, *qui* sub rege est, in
primisque libertas, quae non in eo est, ut iusto utamur
domino, set ut nul*lo* * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

* * * | ferebant. etenim illi iniusto domino [p. 15. 24 44
atque acerbo aliquamdiu in rebus gerundis prospera for-
tuna comitata est; nam et omne Latium bello devicit et
Suessam Pometiam urbem opulentam refertamque cepit
et maxima auri argentique praeda locupletatus votum
patris Capitolii aedificatione persolvit et colonias deduxit
et institutis eorum, a quibus ortus erat, | dona [p. 16.
magnifica quasi libamenta praedarum Delphos ad Apol-
linem misit.

Hic ille iam vertetur orbis, cuius naturalem motum 25 45
atque circuitum a primo discite atque cognoscite: id
enim est caput civilis prudentiae, in qua omnis haec
nostra versatur oratio, videre itinera flexusque rerum
publicarum, ut, cum sciatis, quo quaeque res inclinet,
retinere aut ante possitis | occurrere. nam rex [p. 255.
ille, de quo loquor, primum optimi regis caede macula-
tus, integra mente non erat et, cum metueret ipse poe-
nam sceleris sui summam, metui se volebat; deinde
victoriis divitiisque subnixus exsultabat insolentia neque

46 suos mores regere poterat neque suorum libidines. ita-
que cum maior eius filius Lucretiae, Tricipitini filiae,
Conlatini uxori, vim attulisset mulierque pudens et
p. 256.] no|bilis ob illam iniuriam sese ipsa morte mul-
tavisset, tum vir ingenio et virtute praestans L. Brutus
depulit a civibus suis iniustum illud durae servitutis
iugum: qui cum privatus esset, totam rem publicam
sustinuit primusque in hac civitate docuit in conservanda
civium libertate esse privatum neminem. quo auctore
p. 245.] et principe concitata civitas et hac recenti que|rella
Lucretiae patris ac propinquorum et recordatione su-
perbiae Tarquinii multarumque iniuriarum et ipsius et
filiorum, exsulem et regem ipsum et liberos eius et gen-
tem Tarquiniorum esse iussit.

26 47 Videtisne igitur, ut de rege dominus exstiterit unius-
que vitio genus rei publicae ex bono in deterrumum
conversum sit? hic est enim dominus populi, quem
p. 246.] Graeci tyran|num vocant: nam regem illum vo-
lunt esse, qui consulit ut parens populo conservatque
eos, quibus est praepositus, quam optima in condicione
vivendi. sane bonum, ut dixi, rei publicae genus, sed
tamen inclinatum et quasi pronum ad perniciosissimum
48 statum. simul atque enim se inflexit hic rex in domi-
natum iniustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque tae-
p. 29.] trius neque foedius nec dis hominibus|que invi-
sius animal ullum cogitari potest; qui quamquam figura
est hominis, morum tamen inmanitate vastissimas vincit
beluas. quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi
cum suis civibus, qui denique cum omni hominum ge-
nere nullam iuris communionem, nullam humanitatis
societatem velit? sed erit hoc de genere nobis alius
p. 30.] aptior dicendi locus, cum res ipsa admonu|erit ut
in eos dicamus, qui etiam liberata iam civitate domina-
tiones adpetiverunt.

27 49 Habetis igitur primum ortum tyranni; nam hoc no-
men Graeci regis iniusti esse voluerunt: nostri quidem
omnis reges vocitaverunt, qui soli in populos perpetuam
potestatem haberent. itaque et Spurius Cassius et M.
Manlius et Spurius Maelius regnum occupare voluisse
dicti sunt, et modo *Ti. Gracchus* * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

* * * *Lycurgus γέροντας La*|cedaemone ap- [p. 135. 28 50
pellavit, nimis is quidem paucos, XXVIII., quos penes summam consilii voluit esse, cum imperii summam rex teneret: ex quo nostri idem illud secuti atque interpretati, quos senes ille appellavit, nominaverunt senatum, ut iam Romulum patribus lectis fecisse diximus; tamen excellit atque eminet vis, potestas nomenque regium. inperti etiam populo potestatis | aliquid, ut et [p. 136. Lycurgus et Romulus: non satiaris eum libertate, sed incenderis cupiditate libertatis, cum tantum modo potestatem gustandi feceris. ille quidem semper inpendebit timor ne rex, quod plerumque evenit, exsistat iniustus. est igitur fragilis ea fortuna populi, quae positast in unius, ut dixi antea, voluntate vel moribus.

Qua re prima sit haec forma et species et origo 29 51
ty|ranni, inventa nobis in ea re publica, quam [p. 189. auspicato Romulus condiderit, non in illa, quam, ut perscripsit Plato, sibi ipse Socrates Peripatetico illo in sermone depinxerit; ut, quem ad modum Tarquinius, non novam potestatem nanctus, sed quam habebat usus iniuste totum genus hoc regiae civitatis everterit, sit huic oppositus alter, bonus et | sapiens et peritus [p. 190. utilitatis dignitatisque civilis, quasi tutor et procurator rei publicae; sic enim appelletur, quicumque erit rector et gubernator civitatis. quem virum facite ut agnoscatis; est enim qui consilio et opera civitatem tueri potest. quod quoniam nomen minus est adhuc tritum sermone nostro saepiusque genus eius hominis erit in reliqua nobis oratione trac*tandum* * * *

[*Desiderantur paginae duodecim.*]

* * * *divi*|sas requisivit civitatemque, optan- [p. 187. 30 52
dam magis quam sperandam, quam minimam potuit, non quae posset esse, sed in qua ratio rerum civilium perspici posset, effecit. ego autem, si [quo] modo consequi potuero, rationibus eisdem, quas ille vidit, non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima re publica enitar, ut cuiusque et boni publici et mali causam tamquam virgula videar attingere. | iis enim regiis qua- [p. 188. draginta annis et ducentis paulo cum interregnis fere

amplius praeteritis expulsoque Tarquinio tantum odium populum Romanum regalis nominis tenuit, quantum tenuerat post obitum vel potius excessum Romuli desiderium; itaque ut tum carere rege, sic pulso Tarquinio nomen regis audire non poterat. hic facultatem cum * * *

[*Desiderantur paginae sedecim.*]

31 53 *Cicero de re publ. lib. II.* Itaque illa praeclara constitutio Romuli cum ducentos annos et XL fere firma mansisset * * * (Nonius *de doct. indag.* p. 526.)

Hinc est quod regalem dominationem non ferentes annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt a consulendo, non reges aut domini a regnando atque dominando. (Augustinus *de civit. dei* V, 12.)

p. 35.] * * * | lex illa tota sublatast. hac mente tum nostri maiores et Conlatinum innocentem suspitione cognationis expulerunt et reliquos Tarquinios offensione nominis. eademque mente P. Valerius et fascis primus demitti iussit, cum dicere in contione coepisset, et aedis suas detulit sub Veliam, postea quam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso, ubi p. 36.] rex | Tullus habitaverat, suspitionem populi sensit moveri; idemque, in quo fuit publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum
54 adversus provocationem necaret neve verberaret. provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontip. 119.] ficii libri, significant nostri etiam augurales, | itemque ab omni iudicio poenaque provocari licere indicant .XII. tabulae conpluribus legibus, et, quod proditum memoriaest, .X. viros, qui leges scripserint, sine provocatione creatos, satis ostenderit reliquos sine provocatione magistratus non fuisse; Luciique Valerii Potiti et M. Horatii Barbati, hominum concordiae causa sapienter p. 120.] popularium, consularis lex sanxit, | ne qui magistratus sine provocatione crearetur. neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quicquam praeter sanctionem attulerunt novi. itaque Publi-
55 cola lege illa de provocatione perlata statim securis de

fascibus demi iussit postridieque sibi collegam Sp. Lucretium subrogavit suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire ius|sit; instituitque primus [p. 185. ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent, ne plura insignia essent imperii in libero populo quam in regno fuissent. haud mediocris hic, ut equidem intellego, vir fuit, qui modica libertate populo data facilius tenuit auctoritatem principum. neque ego haec nunc sine causa tam vetera vobis et tam obsoleta decanto, | sed inlustribus in personis temporibusque [p. 186. exempla hominum rerumque definio, ad quae reliqua oratio deregatur mea.

Tenuit igitur hoc in statu senatus rem publicam tem- 32 56
poribus illis, ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate et instituto ac more gererentur, atque uti consules potestatem haberent tempore dum taxat annuam, | genere ipso ac iure regiam. [p. 5. quodque erat ad [obtinendam] potentiam nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum adprobavisset auctoritas. atque his ipsis temporibus dictator etiam est institutus decem fere annis post primos consules, T. Larcius, novumque id genus imperii visum est et proximum similitudini regiae. sed | tamen omnia summa cum auctori- [p. 6. tate a principibus cedente populo tenebantur, magnaeque res temporibus illis a fortissimis viris summo imperio praeditis dictatoribus atque consulibus belli gerebantur.

Sed id, quod fieri natura rerum ipsa cogebat, ut 32 57
plusculum sibi iuris populus adscisceret liberatus a regibus, non longo intervallo, sexto decimo fere anno, Postumo Co|minio Sp. Cassio consulibus secutum [p. 7. est: in quo defuit fortasse ratio, sed tamen vincit ipsa rerum publicarum natura saepe rationem. id enim tenetote, quod initio dixi, nisi aequabilis haec in civitate conpensatio sit et iuris et officii et muneris, ut et potestatis satis in magistratibus et auctoritatis in principum consilio et libertatis in populo sit, non posse hunc incommu|tabilem rei publicae conservari statum. [p. 8.
nam cum esset ex aere alieno commota civitas, plebs 58
montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit. ac

ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus
Graecis frenos: nam etiam Spartae regnante Theopompo
sunt item quinque, quos illi ephoros appellant, in Creta
autem decem, qui cosmoe vocantur, ut contra consu-
p. 191.] lare imperium tribuni pl., sic illi contra vim | re-
giam constituti.

34 59 Fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostris in illo
consilio aeri alieno medendi, quae neque Solonem Athe-
niensem non longis temporibus ante fugerat neque post
aliquanto nostrum senatum, cum sunt propter unius libi-
dinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea
desitum; semperque huic generi, cum plebes publica
p. 192.] calamitate inpendiis de|bilitata deficeret, salutis
omnium causa aliqua sublevatio et medicina quaesitast.
quo tum consilio praetermisso causa populo natast, duo-
bus tribunis plebis per seditionem creatis, ut potentia se-
natus atque auctoritas minueretur; quae tamen gravis et
magna remanebat, sapientissimis et fortissimis et armis et
p. 129.] consilio civitatem tuentibus, quorum aucto|ritas
maxime florebat, quod, cum honore longe antecellerent
ceteris, voluptatibus erant inferiores nec pecuniis ferme
superiores, eoque erat cuiusque gratior in re publica
virtus, quod in rebus privatis diligentissime singulos civis
opera, consilio, re tuebantur.

35 60 Quo in statu rei publicae Sp. Cassium de occupando
regno molientem, summa apud populum gratia floren-
p. 130.] tem, quaestor | accusavit eumque, ut audistis,
cum pater in ea culpa esse conperisse se dixisset, ce-
dente populo morte mactavit. gratamque etiam illam
legem quarto circiter et quinquagesimo anno post primos
consules de multa et sacramento Sp. Tarpeius et A.
Aternius consules comitiis centuriatis tulerunt. annis
post ea .xx. ex eo, quod L. Papirius P. Pinarius cen-
p. 41.] so|res multis dicendis vim armentorum a privatis
in publicum averterant, levis aestumatio pecudum in
multa lege C. Iulii P. Papirii consulum constitutast.

36 61 Sed aliquot ante annis, cum summa esset auctoritas
in senatu, populo patiente atque parente, inita ratiost, ut
et consules et tribuni pl. magistratu se abdicarent atque
p. 42.] ut .x. viri maxima potestate sine provocatio|ne

crearentur, qui et summum imperium haberent et leges
scriberent. qui cum .x. tabulas summa [legum] aequi-
tate prudentiaque conscripsissent, in annum posterum
decem viros alios subrogaverunt, quorum non similiter
fides *est* nec iustitia laudata. quo tamen e collegio laus
est illa eximia C. Iulii, qui hominem nobilem L. Sestium,
cuius in cu|biculo ecfossum esse se praesente [p. 137.
mortuum diceret, cum ipse potestatem summam haberet,
quod decem virum sine provocatione esset, vades tamen
poposcit, quod se legem illam praeclaram neglecturum
negaret, quae de capite civis Romani nisi comitiis cen-
turiatis statui vetaret.

Tertius est annus .x. viralis consecutus, cum idem 37 62
essent nec alios subrogare voluissent. | in hoc [p. 138.
statu rei publicae, quem dixi iam saepe non posse esse
diuturnum, quod non esset in omnis ordines civitatis
aequabilis, erat penes principes tota res publica, praepo-
sitis decem viris nobilissimis, non oppositis tribunis pl.,
nullis aliis adiunctis magistratibus, non provocatione ad
populum contra necem et verbera relicta. ergo horum 63
ex iniustitia subito exorta est maxima pertur|ba- [p. 183.
tio et totius commutatio rei publicae: qui duabus tabulis
iniquarum legum additis, quibus, etiam quae diiunctis
populis tribui solent conubia, haec illi ut ne plebi et pa-
tribus essent, inhumanissima lege sanxerunt, quae postea
plebei scito Canuleio abrogatast, libidinose omni im-
perio et acerbe et avare populo praefuerunt. nota sci-
licet illa res et celebrata monumen|tis plurimis [p. 184.
litterarum, cum Decimus quidam Verginius virginem
filiam propter unius ex illis .x. viris intemperiem in foro
sua manu interemisset ac maerens ad exercitum, qui
tum erat in Algido, confugisset, milites bellum illud,
quod erat in manibus, reliquisse et primum montem sa-
crum, sicut erat in simili causa ante factum, deinde
Aventinum ar*matos insedisse* * * *

[*Desiderantur paginae octo.*]

Dixere maritum pro designavere. Cic. de re publ. sic:
dictatore L. Quinctio dicto. (Philargyrius ad Vergil.
Georg. III, 125.)

p. 193.] * * * *maio*|res nostros et probavisse maxime et
retinuisse sapientissime iudico.'

38 Cum ea Scipio dixisset silentioque omnium reliqua
64 eius exspectaretur oratio, tum Tubero: 'quoniam nihil
ex te, Africane, hi maiores natu requirunt, ex me audies,
quid in oratione tua desiderem.' 'sane,' inquit Scipio
'et libenter quidem.' tum ille: 'laudavisse mihi videris
p. 194.] nostram rem publicam, cum ex te non de | nostra,
sed de omni re publica quaesisset Laelius; nec
tamen didici ex oratione tua, istam ipsam rem publicam,
quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus
constituere vel conservare possimus.'

39 Hic Africanus: 'puto nobis mox de instituendis et
65 conservandis civitatibus aptiorem, Tubero, fore disserundi
locum; de optimo autem statu equidem arbitrabar
p. 143.] me satis respon|disse ad id, quod quaesierat
Laelius. primum enim numero definieram genera civitatum
tria probabilia, perniciosa autem tribus illis totidem
contraria, nullumque ex eis unum esse optimum,
sed id praestare singulis, quod e tribus primis esset mo-
66 p. 144.] dice temperatum. quod | autem exemplo nostrae
civitatis usus sum, non ad definiendum optimum statum
valuit — nam id fieri potuit sine exemplo —, sed ut
civitate maxima reapse cerneretur, quale esset id, quod
ratio oratioque describeret. sin autem sine ullius populi
exemplo genus ipsum exquiris optimi status, naturae
imagine utendum est nobis, quoniam tu hanc imaginem
urbis et populi ni * * *

[*Multa desiderantur.*]

40 p. 19.] * * * *quem* | iam dudum quaero et ad quem
67 cupio pervenire.' 'prudentem fortasse quaeris?' tum
ille: 'istum ipsum.' 'est tibi ex eis ipsis, qui adsunt,
bella copia, vel ut a te ipso ordiare.' tum Scipio: 'atque
utinam ex omni senatu pro rata parte esset! sed
tamen est ille prudens, qui, ut saepe in Africa vidimus,
inmani et vastae insidens beluae [coërcet et regit be-
p. 20.] luam], quocumque volt levi admonitu, non ac|tu
inflectit illam feram.' 'novi et, tibi cum essem legatus,
saepe vidi.' 'ergo ille Indus aut Poenus unam coërcet
beluam et eam docilem et humanis moribus adsuetam:

at vero ea, quae latet in animis hominum quaeque pars animi mens vocatur, non unam aut facilem ad subigendum frenat et domat, si quando id efficit, quod perraro potest. namque et illa tenenda est ferox * * *

[*Desiderantur minimum quattuor paginae.*]

1. *M. Tullius de re publ. lib. II:* quae sanguine ali- 41 68
tur, quae in omni crudelitate sic exsultat, ut vix hominum acerbis funeribus satietur. (Nonius v. *exultare* p. 300.)

2. *M. Tullius de re publ. lib. II:* cupido autem et expetenti et lubidinoso et volutabundo in voluptatibus * * (Nonius v. *volutabundus* p. 491.)

3. *M. Tullius de re publ. lib. II:* quartaque anxitudo prona ad luctum et maerens semperque ipsa se sollicitans. (Nonius v. *anxitudo* p. 72.)

4. *M. Tullius de re publ. lib. II:* esse autem angores † si miseria adflictas aut abiectas timiditate et ignavia. (Nonius v. *timor* p. 228.)

5. *Elidere, deicere. M. Tullius de re publ. lib. II:* ut auriga indoctus e curru trahitur, obteritur, laniatur, eliditur. (Nonius v. *elidere* p. 292.)

[6. *Hercules, qui ob virtutem clarissimus et quasi Africanus inter deos habetur, nonne orbem terrae, quem peragrasse ac purgasse narratur, stupris, libidinibus, adulteriis inquinavit? nec mirum, cum esset adulterio genitus Alcmenae . . . quid enim tam magnificum, si leonem aprumque superavit? si aves deiecit sagittis? si regium stabulum egessit? si viraginem vicit cingulumque detraxit? si equos feroces cum domino interemit? . . . non enim fortior putandus est qui leonem quam qui violentam in se ipso inclusam feram superat iracundiam, aut qui rapacissimas volucres deicit quam qui cupiditates avidissimas coërcet, aut qui Amazonem bellatricem quam qui libidinem vincit, pudoris ac famae debellatricem, aut qui fimum de stabulo quam qui vitia de corde suo egerit, quae magis sunt perniciosa, quia domestica et propria mala sunt, quam illa, quae et vitari poterant et caveri. ex quo fit ut ille solus vir fortis debeat iudicari, qui temperans et moderatus est et iustus.* (Lactantius *Inst. div.* I, 9.)

7. *Homo, qui habet imperium ac potestatem, late nocet*

per iram, sanguinem fundit, urbes subvertit, populos delet, provincias ad solitudinem redigit. (Lactantius *de ira dei* c. 5.)

8. *Tres sunt adfectus, qui homines in omnia facinora praecipites agunt, ira, cupiditas, libido; propterea poëtae tres furias esse dixerunt, quae mentes hominum exagitent: ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates.* (Lactantius *instit. div.* VI, 19. *cf. Epit.* 61.)

9. *Concitationes animorum iuncto currui similes sunt, in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit: quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendat; si autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur aut per praecipitia labetur aut certe quo non est opus deferetur.* (Lactantius *Instit. div.* VI, 17.)]

42 69 p. 25.] * * * | dici possit.' tum Laelius: 'video iam illum, quem exspectabam, virum, cui praeficias officio et muneri.' 'huic scilicet' Africanus 'uni paene: nam in hoc fere uno sunt cetera, ut numquam a se ipso instituendo contemplandoque discedat, ut ad imitationem sui vocet alios, ut sese splendore animi et vitae suae sicut speculum praebeat civibus. ut enim in fidibus p. 26.] aut | tibiis atque ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem inmutatum aut discrepantem aures eruditae ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens, sic ex summis et infimis et mediis interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas con|sensu dissimillimorum concinit; et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, artissimum atque optimum omni in re publica vinculum incolumitatis, eaque sine iustitia nullo pacto esse potest.

43 *Ac deinde cum aliquanto latius et uberius disseruisset* (*Scipio*), *quantum prodesset iustitia civitati quantumque obesset, si afuisset, suscepit deinde Philus, unus eorum, qui disputationi aderant, et poposcit ut haec ipsa quaestio diligentius tractaretur ac de iustitia plura dicerentur, propter illud, quod iam vulgo ferebatur, rem publicam geri sine iniuria non posse. hanc proinde quaestionem discutiendam*

et enodandam esse adsensus est Scipio responditque nihil esse, quod adhuc -- rem publicam regi non posse (§. 70). (Augustinus *de civit. dei* II, 21, 1.)

* * * | plenam esse iustitiae.' tum Scipio: [p. 9. 44 70
'adsentior vero renuntioque vobis nihil esse, quod adhuc de re publica dictum putemus aut quo possimus longius progredi, nisi erit confirmatum non modo falsum illud esse, sine iniuria non posse, sed hoc verissimum esse, sine summa iustitia rem publicam geri nullo modo posse. sed, si placet, | in hunc diem hactenus. reliqua [p. 10. — satis enim multa restant — differamus in crastinum.' cum ita placuisset, finis disputandi in eum diem factus est.

M. TULLII CICERONIS
DE RE PUBLICA
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Cuius quaestionis explicatio cum in diem consequentem dilata esset, in tertio libro magna conflictione res acta est. suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent sine iniustitia geri non posse rem publicam, purgans praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur; egitque sedulo pro iniustitia contra iustitiam, ut hanc esse utilem rei publicae, illam vero inutilem veri similibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. tum Laelius rogantibus omnibus iustitiam defendere adgressus est adseruitque quantum potuit, nihil tam inimicum quam iniustitiam civitati nec omnino nisi magna iustitia geri aut stare posse rem publicam. qua quaestione quantum satis visum est pertractata Scipio ad intermissa revertitur recolitque suam atque commendat brevem rei publicae definitionem, qua dixerat eam esse rem populi, populum autem non omnem coetum multitudinis, sed coetum iuris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat. docet deinde quanta sit in disputando definitionis utilitas, atque ex illis suis definitionibus colligit tunc esse rem publicam, id est rem populi, cum bene ac iuste geritur sive ab uno rege sive a paucis optimatibus sive ab universo populo. cum vero iniustus est rex, quem tyrannum more Graeco appellavit, aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem, aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret, non iam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus conexa docuisset, omnino nullam esse rem publicam, quoniam non esset res populi, cum tyrannus eam factiove capesseret, nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus, quoniam non esset multitudo iuris consensu et utilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus. (Augustinus *de civit. dei* II, 21.)

Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de re publica disputatum, adfuisses: qualis tum patronus iustitiae fuit (Laelius) contra accuratam orationem Phili! (Cicero *Lael.* §. 25.)

---

1 *In libro tertio de re publica Tullius hominem dicit non*
1 *ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore nudo, fragili et infirmo, animo autem anxio ad mo-*

lestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis. (Augustinus *contra Iulianum Pelag.* IV, 12.)

Queruntur hominem magis imbecillum et fragilem nasci 2
quam cetera animalia nascuntur; quae ut sunt edita ex utero, protinus in pedes suos erigi et gestire discursibus statimque aëri tolerando idonea esse, quod in lucem naturalibus indumentis munita processerint: hominem contra nudum et inermem tamquam ex naufragio in huius vitae miserias proici et expelli, qui neque movere se loco, ubi effusus est, possit nec alimentum lactis adpetere nec iniuriam temporis ferre. itaque naturam non matrem esse humani generis, sed novercam, quae cum mutis tam liberaliter gesserit, hominem vero sic effuderit, ut inops et infirmus et omni auxilio indigens nihil aliud possit quam fragilitatis suae condicionem ploratu ac fletibus ominari, scilicet, 'cui tantum in vita restet transire malorum.' (Lucret. V, 227.) *cum fragilis imbecillisque nascatur, tamen et a mutis omnibus tutus est et ea omnia, quae firmiora nascuntur, etiam si vim caeli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. ita fit ut plus homini conferat ratio quam natura mutis, quoniam in illis nec magnitudo virium neque firmitas corporis efficere potest quo minus aut opprimantur a nobis aut nostrae subiecta sint potestati . . . Plato, ut hos credo ingratos refelleret, naturae gratias egit quod homo natus esset* cet. (Lactant. *de opificio dei* c. 3.)

[*Desiderantur hic minimum quattuor paginae.*]

* * * | et vehiculis tarditati; eademque cum [p. 3. 2 3
accepisset homines inconditis vocibus inchoatum quiddam et confusum sonantis, incidit has et distinxit in partis, et ut signa quaedam, sic verba rebus inpressit hominesque antea dissociatos iucundissimo inter se sermonis vinclo conligavit. a simili etiam mente vocis qui videbantur infiniti soni paucis notis inventis | sunt [p. 4. omnes signati et expressi, quibus et conloquia cum absentibus et indicia voluntatum et monumenta rerum praeteritarum tenerentur. accessit eo numerus, res cum ad vitam necessaria, tum una inmutabilis et aeterna;

quae prima inpulit etiam ut suspiceremus in caelum nec frustra siderum motus intueremur dinumerationibusque noctium ac die*rum* * * *

[*Desiderantur octo fere paginae.*]

3 4 p. 207.] * * * | quorum animi altius se extulerunt et aliquid dignum dono, ut ante dixi, deorum aut efficere aut excogitare potuerunt. qua re sint nobis isti, qui de ratione vivendi disserunt, magni homines, ut sunt, sint eruditi, sint veritatis et virtutis magistri, dum modo sit haec quaedam sive a viris in rerum publicarum varietate versatis inventa, sive etiam in istorum otio ac litte- p. 208.] ris tractata — res, sicut est, minime | quidem contemnenda — ratio civilis et disciplina populorum, quae perficit in bonis ingeniis, id quod iam persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsiste-
5 ret. quod si quis ad ea instrumenta animi, quae natura quaeque civilibus institutis habuit, adiungendam sibi etiam doctrinam et uberiorem rerum cognitionem putavit, ut ii ipsi, qui in horum librorum disputatione ver- p. 201.] santur, nemo est quin eos | anteferre omnibus debeat. quid enim potest esse praeclarius quam cum rerum magnarum tractatio atque usus cum illarum artium studiis et cognitione coniungitur? aut quid P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. Philo perfectius cogitari potest? qui, ne quid praetermitterent, quod ad summam laudem clarorum virorum pertineret, ad domesticum maiorumque p. 202.] morem etiam hanc a Socrate adventiciam doc|tri-
6 nam adhibuerunt. qua re qui utrumque voluit et potuit, id est, ut cum maiorum institutis tum doctrina se instrueret, ad laudem hunc omnia consecutum puto. sin alterast utra via prudentiae deligenda, tamen, etiam si cui videbitur illa in optimis studiis et artibus quieta vitae ratio beatior, haec civilis laudabilior est certe et inlustrior; ex qua vita sic summi viri ornantur, ut vel M'. Curius,

quem nemo ferro potuit superare nec auro,

vel * * *

[*Desiderari videntur sex paginae.*]

4 7 p. 23.] * * * | fuisse sapientiam, tamen hoc in ratione utriusque generis interfuit, quod illi verbis et artibus

aluerunt naturae principia, hi autem institutis et legibus. pluris vero haec tulit una civitas, si minus sapientis, quoniam id nomen illi tam restricte tenent, at certe summa laude dignos, quoniam sapientium praecepta et inventa coluerunt. atque etiam, quod et sunt laudandae civitates et fuerunt, quo|niam id est in rerum na- [p. 24. tura longe maximi consilii, constituere eam rem publicam, quae possit esse diuturna, si singulos numeremus in singulas, quanta iam reperiatur virorum excellentium multitudo! quod si aut Italiae Latium aut eiusdem Sabinam aut Volscam gentem, si Samnium, si Etruriam, si magnam illam Graeciam conlustrare animo voluerimus, si deinde Assurios, si Persas, si Poenos, si haec * * *

[*Desiderantur duodecim paginae.*]

* * * *advo*|cati.' et Philus: 'praeclaram vero [p. 21. 5 8
causam ad me defertis, cum me inprobitatis patrocinium suscipere voltis.' 'atqui id tibi' inquit Laelius 'verendumst, si ea dixeris, quae contra iustitiam dici solent, ne sic etiam sentire videare, cum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei, neque sit ignota consuetudo tua contrarias in partis disserendi, quod ita facillume verum inveniri putes.' et Philus 'heia vero,' inquit 'geram | morem vobis et me [p. 22. oblinam sciens; quod quoniam qui aurum quaerunt non putant sibi recusandum, nos, cum iustitiam quaeramus, rem multo omni auro cariorem, nullam profecto molestiam fugere debemus. atque utinam, quem ad modum oratione sum usurus aliena, sic mihi ore uti liceret alieno! nunc ea dicenda sunt L. Furio Philo, quae Carneades, Graecus homo et consuetus quod commodum esset verbis * * *

[*Desiderari videntur quattuor paginae.*]

M. Tullius de re publ. lib. II: Neque hanc tamquam 9
meam orationem vos volo accipere, sed ut Carneadi respondentis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet. (Nonius v. *calumnia* p. 263.)

Carneades, Academicae sectae philosophus, cuius in dis- 6
serendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui nescit, ipsum ex praedicatione Ciceronis intelleget aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima osten-

dit non posse id explicari, 'nec si Carneadem ipsum Orcus remittat.' is cum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de iustitia copiose audiente Galba et Catone censorio, maximis tunc oratoribus. sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit et iustitiam, quam pridie laudaverat, sustulit, non quidem philosophi gravitate, cuius firma et stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitii genere in utramque partem disserendi. quod ille facere solebat, ut alios quidlibet adserentes posset refutare. eam disputationem, qua iustitia evertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur, credo, quoniam de re publica disserebat, ut defensionem laudationemque eius induceret, sine qua putabat regi non posse rem publicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret ac Platonem, iustitiae patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quae pro iustitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere. (Lactantius *Inst. div.* V, 14.)

7 10 *Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles, de iustitia multa dixerunt, adserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet, et cum ceterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse iustitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit nec occulta, sed foras tota promineat et ad bene faciendum prona sit, ut quam plurimis prosit: quasi vero in iudicibus solis atque in potestate aliqua constitutis iustitia esse debeat, et*
11 *non in omnibus. atqui nullus est hominum ne infimorum quidem ac mendicorum, in quem iustitia cadere non possit; sed quia ignorabant, quid esset, unde proflueret, quid operis haberet, summam illam virtutem, id est commune omnium bonum, paucis tribuerunt eamque nullas utilitates proprias aucupari, sed alienis tantum commodis studere dixerunt. nec immerito exstitit Carneades, homo summo ingenio et acumine, qui refelleret istorum orationem et iustitiam, quae fundamentum stabile non habebat, everteret, non quia vituperandam esse iustitiam sentiebat, sed ut illos defensores eius ostenderet nihil certi, nihil firmi de iustitia disputare.* (Lactantius *Epitom.* c. 55.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Iustitia foras spectat et proiecta tota est atque eminet. (Nonius v. *proiectum* p. 373.)

M. Tullius de re publ. lib. III: quae virtus praeter ceteras tota se ad alienas porrigit utilitates atque explicat. (Nonius v. *explicare* p. 299.)

* * * | et reperiret et tueretur, alter autem [p. 205. 8 12
de ipsa iustitia quattuor inplevit sane grandis libros. nam ab Chrysippo nihil magnum nec magnificum desideravi, qui suo quodam more loquitur, ut omnia verborum momentis, non rerum ponderibus examinet: illorum fuit heroum eam virtutem, quae est una, si modost, maxime munifica et liberalis et quae omnis magis quam sepse diligit, aliis nata potius | quam sibi, excitare [p. 206. iacentem et in illo divino solio non longe a sapientia conlocare. nec vero illis aut voluntas defuit — quae 13
enim iis scribendi alia causa aut quod omnino consilium fuit? — aut ingenium, quo omnibus praestiterunt, sed eorum et voluntatem et copiam causa vicit: ius enim, de quo quaerimus, civile est aliquod, naturale nullum; nam si esset, ut calida et frigida, ut amara et dulcia, sic essent iusta et in|iusta eadem omnibus. nunc autem, [p. 17. 9 14
si quis illo Pacuviano invehens alitum anguium curru multas et varias gentis et urbis despicere et oculis conlustrare possit, videat primum in illa incorrupta maxime gente Aegyptiorum, quae plurimorum saeculorum et eventorum memoriam litteris continet, bovem quendam putari deum, quem Apim [Aegyptii] nominant, multaque alia portenta apud eosdem et cuiusque generis | beluas numero consecratas deorum; deinde [p. 18. Graeciae, sicut apud nos, delubra magnifica humanis consecrata simulacris, quae Persae nefaria putaverunt; eamque unam ob causam Xerses inflammari Atheniensium fana iussisse dicitur, quod deos, quorum domus esset omnis hic mundus, inclusos parietibus contineri nefas esse duceret. post autem cum Persis et Philippus, 15
qui cogitavit, et Alexander, qui gessit, hanc bellandi causam infe|rebat, quod vellet Graeciae fana [p. 27. poenire; quae ne reficienda quidem Graii putaverunt, ut esset posteris ante os documentum Persarum sceleris sempiternum. quam multi, ut Tauri in Axino, ut rex Aegypti Busiris, ut Galli, ut Poeni, homines immolare et pium et dis inmortalibus gratissumum esse duxerunt!

vitae vero instituta sic distant, ut Cretes et Aetoli latro-
cinari honestum putent, Lacedaemonii suos omnis agros
p. 28.] esse dictitarint, | quos spiculo possent attingere.
Athenienses iurare etiam publice solebant omnem suam
esse terram, quae oleam frugesve ferret. Galli turpe
esse ducunt frumentum manu quaerere, itaque armati
16 alienos agros demetunt. nos vero iustissimi homines,
qui Transalpinas gentis oleam et vitem serere non sini-
mus, quo pluris sint nostra oliveta nostraeque vineae:
quod cum facimus, prudenter facere dicimur, iuste non
p. 203.] dici|mur, ut intellegatis discrepare ab aequitate
sapientiam. Lycurgus autem, ille legum optumarum et
aequissumi iuris inventor, agros locupletium plebi ut
servitio colendos dedit.

10 17 Genera vero si velim iuris, institutorum, morum con-
suetudinumque describere, non modo in tot gentibus
varia, sed in una urbe, vel in hac ipsa, miliens mutata
demonstrem, ut hic iuris noster interpres alia nunc Ma-
p. 204.] nilius iura dicat esse de mu|lierum legatis et
hereditatibus, alia solitus sit adulescens dicere, nondum
Voconia lege lata; quae quidem ipsa lex utilitatis viro-
rum gratia rogata in mulieres plenast iniuriae: cur enim
pecuniam non habeat mulier? cur virgini Vestali sit
heres, non sit matri suae? cur autem, si pecuniae modus
statuendus fuit feminis, P. Crassi filia posset habere, si
unica patri esset, aeris miliens salva lege, mea triciens
non posset? * * *

[*Desiderari videntur paginae duae.*]

11 18 p. 13.] * * * | sanxisset iura nobis, et omnes isdem et
idem non alias aliis uterentur. quaero autem, si iusti
hominis et si bonist viri parere legibus, quibus? an
quaecumque erunt? at nec inconstantiam virtus recipit
nec varietatem natura patitur, legesque poena, non iusti-
tia nostra conprobantur. nihil habet igitur naturale ius,
ex quo illud efficitur, ne iustos quidem esse natura. an
vero in legibus varietatem esse dicunt, natura autem
p. 14.] viros bonos eam iustitiam | sequi, quae sit, non
eam, quae putetur? esse enim hoc boni viri et iusti,
tribuere id cuique, quod sit quoque dignum. ecquid
19 ergo primum mutis tribuemus beluis? non enim me-

diocres viri, sed maxumi et docti, Pythagoras et Empedocles, unam omnium animantium condicionem iuris esse denuntiant clamantque inexpiabilis poenas inpendere iis, a quibus violatum sit animal. scelus est igitur nocere bestiae, quod scelus qui velit * * *

[*Multa desiderantur.*]

[13. 22.] *Vel si iustitiam sequi volet dei, divini tamen* 12 20
iuris ignarus gentis suae leges tamquam verum ius amplectitur, quas non utique iustitia, sed utilitas repperit. cur enim per omnes populos diversa et varia iura sunt condita, nisi quod una quaeque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile? quantum autem a iustitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet, qui per fetiales bella indicendo et legitime iniurias faciendo semperque aliena cupiendo atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparavit. (Lactantius *Inst. div.* VI, 9.)

Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur et victoriis propagatur. porro bella et victoriae captis et eversis plurimum urbibus constant. id negotium sine deorum iniuria non est: eaedem strages moenium et templorum, pares caedes civium et sacerdotum nec dissimiles rapinae sacrarum divitiarum et profanarum. tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot de dis quot de gentibus triumphi, tot manubiae quot manent adhuc simulacra captorum deorum etc. (Tertullianus *Apolog.* 25.)

[15. 24.] *Carneades, quoniam erant infirma, quae a phi-* 21
losophis adserebantur, sumpsit audaciam refellendi, quia refelli posse intellexit. eius disputationis summa haec fuit: iura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus et apud eosdem pro temporibus saepe mutata, ius autem naturale esse nullum; omnes et homines et alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri; proinde aut nullam esse iustitiam aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret alienis commodis consulens. et inferebat haec argumenta: omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum et in egestate ac miseriis iacendum. (Lactantius *Inst. div.* V, 16.)

Sublata hominum concordia virtus nulla est omnino.

quae sunt enim patriae commoda nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? id est fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere meliora . . . haec itaque, ut ipsi appellant, bona quisquis patriae adquisierit, hoc est, eversis civitatibus gentibusque deletis aerarium pecunia referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in caelum, in hoc putatur summa et perfecta esse virtus: qui error non modo populi et imperitorum, sed etiam philosophorum est, qui praecepta quoque dant ad iniustitiam, ne stultitiae ac malitiae disciplinae auctoritas desit. (Lactantius *Inst. div.* VI, 6.)

13 22 p. 57.] [14. 23.] * * * | Sunt enim omnes, qui in populum vitae necisque potestatem habent, tyranni, sed se Iovis optimi nomine malunt reges vocari. cum autem certi propter divitias aut genus aut aliquas opes rem publicam tenent, est factio, sed vocantur illi optimates. si vero populus plurimum potest omniaque eius arbitrio
23 reguntur, dicitur illa libertas, est vero licentia. sed cum alius alium timet, et homo hominem et ordo ordinem, p. 58.] tum, quia sibi nemo confidit, quasi pactio fit | inter populum et potentis: ex quo exsistit id quod Scipio laudabat coniunctum civitatis genus. etenim iustitiae non natura nec voluntas, sed inbecillitas mater est; nam cum de tribus unum esset optandum, aut facere iniuriam nec accipere, aut et facere et accipere, aut neutrum, optimum est facere, inpune si possis, secundum nec facere nec pati, miserrimum digladiari semper tum faciendis tum accipiendis iniuriis. ita qui primum illud adsequi * * *

[*Aliquot paginae desunt.*]

14 24 [12. 20.] *M. Tullius de re publ. lib. III:* Nam cum quaereretur ex eo, quo scelere inpulsus mare haberet infestum uno myoparone, 'eodem,' inquit 'quo tu orbem terrae.' (Nonius v. *Infestum mare haberet* p. 125. v. *habere* p. 318. v. *myoparo* p. 534.)

15 p. 47.] [12. 21.] * * * | omni . . . . tote. sapientia iubet aug*ere* opes, amplificare diuitias, proferre finis—unde enim esset illa la*us* in summo*rum* imperatoru*m* inci*sa moni*men*tis*, FINIS IMPERII PROPAGAUIT, nisi aliquid de alieno accessisset?—, imperare quam plurimis, frui voluptatibus, pol-

lere, regnare, dominari; iustitia autem praecipit parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere, *sacra*, publica, alie*na* non tangere. | quid [p. 48. igitur efficitur, si sapientiae pareas? divitiae, potestates, opes, honores, imperia, regna vel privatis vel populis: sed quoniam de re publica loquimur, sunt inlustriora quae publice fiunt, quoniamque eadem est ratio iuris in utroque, de populi sapientia dicendum puto. et iam omittam alios: noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit, cuius imperio iam orbis terrae tenetur, iustitia an sapientia est e minimo omnium *maximus factus?*

[*Desiderantur minimum quattuor paginae.*]

* * * | praeter Arcadas et Atheniensis, qui, [p. 1. 25
credo, timentes hoc interdictum iustitiae ne quando exsisteret, commenti sunt se de terra tamquam hos ex arvis musculos exstitisse.

Ad haec illa dici solent primum ab iis, qui minime 16 26
sunt in disserendo mali, qui in ea causa eo plus auctoritatis habent, quia, cum de viro bono quaeritur, quem apertum et simplicem volumus esse, non sunt in disputando vafri, non veteratores, non malitiosi: negant enim sapientem id|circo virum bonum esse, quod cum [p. 2. sua sponte ac per se bonitas et iustitia delectet, sed quod vacua metu, cura, sollicitudine, periculo vita bonorum virorum sit, contra autem inprobis semper aliqui scrupus in animis haereat, semper iis ante oculos iudicia et supplicia versentur. nullum autem emolumentum esse, nullum iniustitia partum praemium tantum, semper ut timeas, semper ut adesse, semper ut inpendere aliquam poenam putes, damna * * *

[*Desiderantur in cod. Vat. minimum quattuor paginae, quarum aliqua pars suppletur loco a Lactantio exscripto.*]

(Lactantius *Inst. div.* V, 12.) *Est apud Ciceronem* 17 27
non abhorrens a vero locus in ea disputatione, quae habetur a Furio contra iustitiam. Quaero, *inquit,* si duo sint, quorum alter optimus vir, aequissimus, summa iustitia, singulari fide, alter insigni scelere et audacia, et si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum sceleratum,

facinorosum, nefarium putet, contra autem *eum*, qui sit inprobissimus, existimet esse summa probitate ac fide, proque hac opinione omnium civium bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique adferantur, effodiantur p. 11.] oculi, damnetur, vinciatur, uratur, extermi|netur, egeat, postremo iure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur, contra autem ille inprobus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiae conferantur, vir denique optimus omnium existimatione et dignissimus omni fortuna optima iudicetur: quis tandem erit tam demens qui dubitet, utrum se esse malit?

18 28 Quod in singulis, idemst in populis: nulla est tam p. 12.] stulta civitas, | quae non iniuste imperare malit quam servire iuste. nec vero longius abibo: consul ego quaesivi, cum vos mihi essetis in consilio, de Numantino foedere. quis ignorabat Q. Pompeium fecisse foedus, eadem in causa esse Mancinum? alter, vir optimus, etiam suasit rogationem me ex senatus consulto ferente, alter acerrime se defendit. si pudor quaeritur, si probitas, si fides, Mancinus haec attulit; si ratio, consilium, prudentia, Pompeius antistat. utrum * * *

[*Aliquot desunt paginae.*]

19 29 *Tum omissis communibus ad propria veniebat* (*Carneades*). *bonus vir, inquit, si habeat servum fugitivum vel domum insalubrem ac pestilentem, quae vitia solus sciat, et ideo proscribat ut vendat, utrumne profitebitur fugitivum servum vel pestilentem domum se vendere an celabit emptorem? si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus iudicabitur, quia vel parvo vendet vel omnino non vendet. si celaverit, erit quidem sapiens, quia rei consulet, sed idem malus, quia fallet. rursus, si reperiat aliquem, qui aurichalcum se putet vendere, cum sit illud aurum, aut plumbum, cum sit argentum, tacebitne, ut id parvo emat, an indicabit, ut magno? stultum plane videtur malle magno. unde intellegi volebat et eum, qui sit iustus ac bonus, stultum esse et eum, qui sapiens, malum: et tamen sine pernicie fieri posse ut sint homines paupera-*
20 30 *tate contenti. transcendebat ergo ad maiora, in quibus nemo posset sine periculo vitae iustus esse. dicebat enim:*

nempe iustitia est hominem non occidere, alienum prorsus
non attingere. quid ergo iustus faciet, si forte naufragium
fecerit et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? nonne
illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat eaque nixus
evadat, maxime cum sit nullus medio mari testis? si sapiens
est, faciet; ipsi enim pereundum est, nisi fecerit: si autem
mori maluerit quam manus inferre alteri, iam vero iustus
ille, sed stultus est, qui vitae suae non parcat, dum parcit
alienae. item, si acie suorum fusa hostes insequi coeperint
et iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem,
eine parcet, ut ipse occidatur, an deiciet ex equo, ut ipse pos-
sit hostem effugere? quod si fecerit, sapiens, sed idem malus,
si non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est. ita 31
ergo iustitiam cum in duas partes divisisset, alteram civi-
lem esse dicens, alteram naturalem, utramque subvertit,
quod illa civilis sapientia sit quidem, sed iustitia non sit,
naturalis autem illa iustitia sit quidem, sed non sit sa-
pientia. arguta haec plane ac venenata sunt et quae M.
Tullius non potuerit refellere. nam cum faciat Laelium
Furio respondentem pro iustitiaque dicentem, inrefutata
haec tamquam foveam praetergressus est, ut videatur idem
Laelius non naturalem, quae in crimen stultitiae venerat,
sed illam civilem defendisse iustitiam, quam Furius sa-
pientiam quidem esse concesserat, sed iniustam. (Lactantius
Instit. div. V, 16.)

In libro quoque de re publica secundo id ipsum verbum 21 32
(*superesse*) *Cicero ponit non temere transeundum. verba ex*
eo libro haec sunt: Non gravarer, Laeli, nisi et hos velle
putarem et ipse cuperem te quoque aliquam partem huius
nostri sermonis attingere, praesertim cum heri ipse dixe-
ris te nobis etiam superfuturum. verum id quidem fieri
non potest: ne desis omnes te rogamus. (Gellius *noct.*
Att. I, 22, §. 8.)

M. Tullius de re publ. lib. III: sed iuventuti nostrae
minime audiendus: quippe si ita sensit, ut loquitur, est
homo inpurus; sin aliter, quod malo, oratio est tamen
inmanis. (Nonius v. *impurus* p. 324. v. *immane* p. 323.)

Suscipienda igitur dei lex est, quam M. Tullius in libro 22 33
de re publ. tertio paene divina voce depinxit, cuius ego, ne
plura dicerem, verba subieci: Est quidem vera lex recta

ratio, naturae congruens, diffusa in omnis, constans, sempiterna, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat nec inprobos iubendo aut vetando movet. huic legi nec obrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet neque tota abrogari potest, nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus, neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius, nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnis gentis et omni tempore una lex et sempiterna et inmutabilis continebit unusque erit communis quasi magister et imperator omnium deus; ille legis huius inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia quae putantur effugerit. (Lactantius *Inst. div.* VI, 8.)

23 34 *Scio in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de re publica disputari:* nullum bellum suscipi a civitate optima nisi aut pro fide aut pro salute. *quid autem dicat pro salute vel intellegi quam salutem velit, alio loco demonstrans:* sed his poenis, *inquit,* quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exsilio, vinculis, verberibus, elabuntur saepe privati oblata mortis celeritate, civitatibus autem mors ipsa poena est, quae videtur a poena singulos vindicare; debet enim constituta sic esse civitas, ut aeterna sit: itaque nullus interitus est rei publicae naturalis ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe; civitas autem cum tollitur, deletur, exstinguitur, simile est quodam modo, ut parva magnis conferamus, ac si omnis hic mundus intereat et concidat. (Augustinus *de civit. dei* XXII, 6.)

35 *Quattuor autem sunt genera bellorum, id est iustum, iniustum, civile et plus quam civile. iustum bellum est quod ex praedicto ingeritur de rebus repetitis aut propulsandorum hostium causa; iniustum bellum est, quod de furore, non de legitima ratione initur, de quo in re publica Cicero dixit:* illa iniusta bella sunt, quae sunt sine causa suscepta; nam extra ulciscendi aut propulsandorum hostium causam bellum geri iustum nullum potest. *et hoc idem Tullius parvis interiectis subdidit:* nullum bellum iustum

habetur nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus. (Isidorus *Origg.* XVIII, 1, §. 2 sq.)

Genetivus pro ablativo. M. Tullius de re publ. lib. III: noster autem populus sociis defendendis terrarum iam omnium potitus est. (Nonius IX, p. 498.)

Disputatur certe acerrime atque fortissime in eisdem 24 36
ipsis de re publica libris adversus iniustitiam pro iustitia. et quoniam, cum prius ageretur pro iniustitiae partibus contra iustitiam et diceretur nisi per iniustitiam rem publicam stare augerique non posse, hoc veluti validissimum positum erat, iniustum esse ut homines hominibus dominantibus serviant, quam tamen iniustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cuius est magna res publica, non eam posse provinciis imperare, responsum est a parte iustitiae ideo iustum esse, quod talibus hominibus sit utilis servitus, et pro utilitate eorum fieri, cum recte fit, id est, cum inprobis aufertur iniuriarum licentia, et domiti melius se habebunt, qui indomiti deterius se habuerunt, subditumque est, ut ista ratio firmaretur, veluti a natura sumptum nobile exemplum, atque dictum est: cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini ceterisque vitiosis animi partibus? (Augustinus *de civit. dei* XIX, 21, 2.)

Audi manifestiora quae dicat in libro de re publica 25 37
tertio, cum ageret de causa imperandi. An non, *inquit,* cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infirmorum datum? cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiaeque et ceteris vitiosis eiusdem animi partibus? *adhuc audi; paulo post enim:* sed et imperandi et serviendi, *inquit,* sunt dissimilitudines cognoscendae: nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini, sed corpori ut rex civibus suis aut parens liberis, libidini autem ut servis dominus, quod eam coërcet et frangit, sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia civibus sociisque praesunt, ut corporibus animus, domini autem servos ita fatigant, ut optima pars animi, id est sapientia, eiusdem animi vitiosas inbecillasque partis, ut libidines, ut iracundias, ut perturbationes ceteras. (Augustinus *contra Iulianum Pelag.* IV, 12.)

Nonne Cicero in libris de re publica, cum de imperiorum differentia disputaret et huius rei similitudinem ex natura hominis adsumeret, ut filiis *dixit* imperari corporis membris propter oboediendi facilitatem, vitiosas vero animi partis ut servos asperiore imperio coërceri. (Augustinus *de civit. dei* XIV, 23, 2.)

M. Tullius de re publ. lib. III: est enim genus iniustae servitutis, cum ii sunt alterius, qui sui possunt esse; cum autem ii famulantur * * (Nonius v. *famulantur* p. 109.)

26 38 *Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem inprudentem super eam adsidere, cuius mors tibi emolumentum futura sit, inprobe feceris, nisi monueris ne adsidat, sed inpunite tamen; scisse enim te quis coarguere possit? sed nimis multa. perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri, deque his rebus satis multa in nostris de re publica libris sunt dicta a Laelio.* (Cicero *de fin. bon. et mal.* II, 18, §. 59.)

Et si, ut nos a te admonemur, recte in illis libris diximus nihil esse bonum nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe sit . . . (Cicero *ad Att.* X, 4, 4.)

27 39 *Filiola tua te delectari laetor et probari tibi φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα. etenim, si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio, qua sublata vitae societas tollitur. 'bene eveniat' inquit Carneades: spurce, sed tamen pudentius quam Lucius noster et Patron; qui cum omnia ad se referant, numquam quicquam alterius causa fieri putent, et cum ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intellegant se de callido homine loqui, non de bono viro. sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti.* (Cicero *ad Att.* VII, 2, §. 4.)

Cicero de re publica: in quibus adsentior sollicitam et periculosam iustitiam non esse sapientis. (Priscianus VIII, 6, §. 32. p. 801. P.)

28 40 *Apud Ciceronem idem ille iustitiae defensor Laelius,* volt, *inquit,* plane virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces. *est plane et quidem virtute dignissima, quam*

tu, Laeli, numquam poteras suspicari; nihil enim divinarum noveras litterarum. quam tamen illa, *inquit,* accipit facile, exigit non acerbe. *erras vehementer, si putas, ab homine praemium solvi posse virtuti, cum ipse alio loco verissime dixeris:* huic tu viro quas divitias obicies? quae imperia? quae regna? qui ista putat humana, sua bona divina iudicat. *quis ergo te sapientem, Laeli, putet, cum ipse tibi loquare contraria et paulo post virtuti adimas quae dedisti? sed videlicet ignorantia veri facit incertam labantemque sententiam. deinde quid adiungis?* sed si aut ingrati universi aut invidi multi aut inimici potentes suis virtutem praemiis spoliant, — *o quam fragilem, quam inanem virtutem induxisti, si spoliari praemio suo potest; quae si bona sua divina iudicat, ut aiebas, qui possunt exsistere tam ingrati, tam invidi, tam potentes, qui virtutem spoliare valeant iis bonis, quae fuerint in eam collata divinitus!* — ne illa se, *inquit,* multis solaciis oblectat maximeque suo decore se ipsa sustentat. (Lactantius *Inst. div.* V, 18.)

Iustus vero ac sapiens, quia illa omnia humana, ut est a Laelio dictum, sua bona divina iudicat nec alienum quicquam concupiscit, ne quem contra ius humanitatis laedat omnino, nec ullam potentiam honoremve desiderat, ne cui faciat iniuriam. (Lactantius *Inst. div.* V, 22.)

Sed videlicet homines docti atque sapientes contra vim tantae auctoritatis . . acute sibi argumentari videntur adversus corporum resurrectionem et dicere quod in tertio de re publ. libro a Cicerone commemoratum est. nam cum Herculem et Romulum ex hominibus deos esse factos adseveraret, quorum non corpora, *inquit,* sunt in caelum elata; neque enim natura pateretur ut id, quod esset e terra, nisi in terra maneret. (Augustinus *de civit. dei* XXII, 4.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Numquam viri fortissimi fortitudinis, inpigritatis, patientiae . . (Nonius v. *inpigritas* p. 125.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Pyrrhi † videt largitas acos aut Samnitium copiae Curio defuerunt. (Nonius v. *largitas* p. 132.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Cuius etiam focum Cato ille noster, cum venerat ad se in Sabinos, ut ex

ipso audiebamus, visere solebat, apud quem ille sedens Samnitium, quondam hostium, tum iam clientium suorum, dona relegaverat. (Nonius v. *apud* p. 522.)

29 41 p. 249.] * * * | Asia Ti. Gracchus, perseveravit in civibus, sociorum nominisque Latini iura neglexit ac foedera: quae si consuetudo ac licentia manare coeperit latius imperiumque nostrum ad vim a iure traduxerit, ut, qui adhuc voluntate nobis oboediunt, terrore teneantur, etsi nobis, qui id aetatis sumus, evigilatum ferest, tamen de posteris nostris et de illa inmortalitate rei publip. 250.] cae sollicitor, quae poterat esse perpetua, si pa|triis viveretur institutis et moribus.'

30 42 Quae cum dixisset Laelius, etsi omnes, qui aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos, tamen praeter ceteros Scipio quasi quodam gaudio elatus 'multas tu quidem,' inquit 'Laeli, saepe causas ita defendisti, ut ego non modo tecum Servium Galbam collegam nostrum, quem tu, quoad vixit, omnibus anteponebas, verum ne Atticorum quidem oratorum quemquam aut sua*vitate* * * *

[*Desiderantur paginae duodecim.*]

M. Tullius de re publ. lib. III: duas sibi res, quo minus in volgus et in foro diceret, confidentiam et vocem defuisse * * (Nonius v. *confidentia* p. 262.)

De quo (*tauro*) *Cicero dixit:* inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus. (Scholiastes Iuvenalis *ad sat.* VI, 480.)

31 43 p. 251.] * * * | reportare. ergo illam rem populi, id est rem publicam, quis diceret tum, cum crudelitate unius oppressi essent universi, neque esset unum vinculum iuris nec consensus ac societas coetus, quod est populus? atque hoc idem Syracusis: urbs illa praeclara, quam ait Timaeus Graecarum maxumam, omnium autem esse pulcherrimam, arx visenda, portus usque in sinus oppidi et ad urbis crepidines infusi, viae latae, portip. 252.] cus, | templa, muri nihilo magis efficiebant Dionysio tenente, ut esset illa res publica; nihil enim populi et unius erat populus ipse. ergo ubi tyrannus est, ibi non vitiosam, ut heri dicebam, sed, ut nunc ratio cogit, dicendum est plane nullam esse rem publicam.'

'Praeclare quidem dicis;' Laelius 'etenim video iam 32 41
quo pergat oratio.' 'vides igitur ne illam quidem, quae tota sit in factionis potestate, posse vere dici rem publicam.' 'sic plane iudico.' 'et | rectissime qui- [p. 109. dem iudicas: quae enim fuit tum Atheniensium res, cum post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta viri illi urbi iniustissime praefuerunt? num aut vetus gloria civitatis aut species praeclara oppidi aut theatrum, gymnasia, porticus aut propylaea nobilia aut arx aut admiranda opera Phidiae aut Piraeus ille magnificus rem publicam efficiebat?' 'minime vero,' Laelius 'quoniam quidem populi | res non erat.' 'quid? cum de- [p. 110. cemviri Romae sine provocatione fuerunt, tertio illo anno, cum vindicias amisisset ipsa libertas?' 'populi nulla res erat; immo vero id populus egit, ut rem suam recuperaret.'

'Venio nunc ad tertium genus illud, in quo esse 33 45
videbuntur fortasse angustiae: cum per populum agi dicuntur et esse in populi potestate omnia, cum, de quocumque volt, supplicium sumit multitudo, cum | [p. 299. agunt, rapiunt, tenent, dissipant quae volunt, pot*esne* tum, Laeli, negare rem *esse* illam *pub*licam, cum populi sint omnia, quoniam quidem populi esse rem volumus rem publicam?' tum Laelius: 'ac nullam quidem citius negauerim *esse* rem publicam, quam istam quae to|ta .... p. | pu .... | ni. s .... | mo ..... obis non plac*uit* Syracusis fuisse rem publicam neq*ue* Agrigenti neq*ue* Athenis, cum es*sen*t tyranni, nec hic, cum decemviri; nec | vi- [p. 300. deo, qui magis in multitudinis dominatu rei publicae nomen adpareat, quia primum mihi populus non est, ut tu optime definisti, Scipio, nisi qui consensu iuris contine*tur*, sed est tam tyrannus iste conventus, quam si esset unus, hoc etiam taetrior, quia nihil ista, quae populi speciem et nomen imitatur, inmanius beluast. nec vero convenit, cum furiosorum bona legibus in adgnatorum potestate sint, quod eorum iam * * *

[*Desiderantur octo paginae.*]

* * * | dici possint, cur illa sit res publica [p. 297. 34 46
resque populi, quae sunt dicta de regno.' 'et multo etiam magis;' inquit Mummius 'nam in regem potius

cadit domini similitudo, quod est unus, plur*es* vero boni in qua re publica rerum potientur, nihil poterit esse illa beatius. sed tamen vel regnum malo quam liberum populum; id enim tibi restat genus vitiosissumae rei publicae tertium.'

35 47 Hic Scipio 'adgnosco' inquit 'tuum morem istum, p. 298.] Spuri, aver|sum a ratione populi. sed quamquam potest id lenius ferri, quam tu soles ferre, tamen adsentior nullum esse de tribus his generibus, quod sit probandum minus. illud tamen non adsentior tibi, praestare regi optimatis: si enim sapientia est, quae gubernet rem publicam, quid tandem interest haec in unone sit an in pluribus? sed errore quodam fallimur ita disputando: cum enim optumates appellantur, nihil potest p. 115.] vi|deri praestabilius. quid enim optumo melius cogitari potest? cum autem regis est facta mentio, occurrit animis rex etiam iniustus: nos autem de iniusto rege nihil loquimur nunc, cum de ipsa regali re publica quaerimus. qua re cogitato Romulum aut Pompilium aut Tullium regem fore, iam non tam illius te rei pu-
48 blicae paenitebit.' 'quam igitur relinquis populari rei publicae laudem?' tum ille: 'quid tibi tandem, Spuri, p. 116.] Rhodiorum, apud quos nuper fui|mus una, nullane videtur esse res publica?' 'mihi vero videtur, et minime quidem vituperanda.' 'recte dicis, sed, si meministi, omnes erant idem tum de plebe tum senatores, vicissitudinesque habebant, quibus mensibus populari munere fungerentur, quibus senatorio: utrubique autem conventicium accipiebant, et in theatro et in curia res capitalis et reliquas omnis iudicabant idem, tantum poterat tantique erat quanti multitudo *senatus* * * *

[*Multa desiderantur.*]

LIBRI TERTII DE RE PUBLICA FRAGMENTA INCERTAE SEDIS.

49 1. *M. Tullius de re publica lib. III:* Est igitur quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exsul-

tat voluptate vel molestia frangitur. (Nonius v. *exultare* p. 301.)

2. *M. Tullius de re publ. lib. III:* Sed ut ipsi † seu animum periclitentur sum vident quid se putent esse facturos. (Nonius v. *periculum* p. 364.)

3. *M. Tullius de re publ. lib. III:* Poeni primi mercaturis et mercibus suis avaritiam et magnificentiam et inexplebilis cupiditates omnium rerum inportaverunt in Graeciam. (Nonius v. *merx* p. 431.)

4. *Sardanapallus, rex Assyriorum luxuriosus, de quo Tullius in tertio de re publica sic ait:* Sardanapallus ille vitiis multo quam nomine ipso deformior. (Scholiastes Iuvenalis *ad sat.* X, 362.) — *Tullius:* Hic Sardanapallus turpior vitiis quam nomine adeo luxuriosus fuisse dicitur, ut in sepulcro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quae libido eius etiam cum viveret hauriendo consumpserat. (Vincentius Bellov. *Spec. histor.* III, 93. *cf.* Cic. *Tusc. disp.* V, 101.)

5. *'Athos Athonis' protulit Cicero in III. de re publica:* Quid ergo illa sibi volt absurda exceptio, nisi si quis Athonem pro monumento volt funditus † efficere? quis enim est Athos aut Olympus tantus? (Priscianus VI, 13, §. 70. p. 710. P.)

6. *Enitar suo loco, ut ostendam secundum definitiones ipsius Ciceronis, quibus quid sit res publica et quid sit populus loquente Scipione breviter posuit, attestantibus etiam multis sive ipsius sive eorum, quos loqui fecit in eadem disputatione, sententiis, numquam illam fuisse rem publicam, quia numquam in ea fuit vera iustitia. secundum probabiliores autem definitiones pro suo modo quaedam res publica fuit et melius ab antiquioribus Romanis quam a posterioribus administrata est.* (Augustinus *de civit. dei* II, 21, 4.)

7. *Nunc est locus ut quam potero breviter ac dilucide* 50
expediam, quod in secundo huius operis libro me demonstraturum esse promisi, secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de re publica, numquam rem publicam fuisse Romanam. breviter enim rem publicam *definit* esse rem populi. *quae definitio si vera est, numquam fuit Romana res publica, quia numquam fuit res*

populi, quam definitionem voluit esse rei publicae. populum *enim* esse *definivit* coetum multitudinis, iuris consensu et utilitatis communione sociatum. *quid autem dicat iuris consensum disputando explicat, per hoc ostendens* geri sine iustitia non posse rem publicam. ubi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. quod enim iure fit, profecto iuste fit: quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. non enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta: cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiae fonte manaverit, falsumque esse, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui plus potest, utile est. quocirca, ubi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus coetus hominum non potest esse, et ideo nec populus *iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem,* et si non populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quae populi nomine digna non est. ac per hoc, si res publica res populi est et populus non est, qui consensu non sociatus est iuris, non est autem ius, ubi nulla iustitia est, procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rem publicam. iustitia porro ea virtus est, quae sua cuique distribuit. (Augustinus *de civit. dei* XIX, 21, 1.)

M. TULLII CICERONIS
DE RE PUBLICA
LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Quoniam civitas hominum est beate honesteque vivendi societas, haud sane potuit fieri quin, cum de iustitia, qua vitae beatae condicio continetur, libro superiore disputatum esset, iam de moribus et conformandis et tuendis sermo instituerctur. Ac praeterquam quod duo illa, quae sola codex Vaticanus praestat, huius libri fragmenta publicam iuventutis disciplinam attingunt, qui ab aliis scriptoribus vel diserte ex hoc libro adferuntur vel, ut Maio quidem videtur, ex eodem sunt repetiti, loci eodem pertinent omnes. Sunt enim alii de tuendis institutis, moribus, virtutibus, alii de earundem rerum tuendarum rationibus. Hinc sermo de virorum notandorum iure poëtis, praesertim in scena, denegando et solis censoribus concedendo, de mulierum autem censura solis viris relinquenda.

Tentabo tamen, quoniam corporis et animi facta mentio 1 1
est, utriusque rationem, quantum pusillitas intellegentiae meae pervidet, explicare; quod officium hac de causa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in quarto de re publica libro, cum id facere tentasset, materiam late patentem angustis finibus terminavit, leviter summa quaeque decerpens. ac ne ulla esset excusatio, cur eum locum non fuerit exsecutus, ipse testatus est nec voluntatem sibi defuisse nec curam. in libro enim de legibus primo, cum hoc idem summatim stringeret, sic ait: 'hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio.' (Lactantius *de opificio dei* c. 1.)

Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis; neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis et hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. (Cicero *de legg.* I, 27.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Atque ipsa mens ea, quae futura videt, praeterita meminit. (Nonius VIIII, p. 500.)

Praeclare itaque M. Tullius Etenim si nemo est, *inquit,* quin emori malit quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem sit habiturus, quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto praestabilior est animus corpore. (Lactantius *Inst. div.* V, 11. *cf.* Cic. *de offic.* III, 82.)

Denique elegerunt (Stoici) in pecoribus potius quam in hominibus, quod tu facis, laudare libidines: eorum quippe opinioni convenienter ait quodam loco Tullius se non putare idem esse arietis et Publii Africani bonum. (Augustinus *contra Iulian. Pelag.* IV, c. 12.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: eademque obiectu suo umbram noctemque efficiat, cum ad numerum dierum aptam tum ad laborum quietem. (Nonius v. *aptam* p. 234.)

M. Tullius de re publica lib. quarto: cumque autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad conficiendas relaxarit, † afistula maturitate alia mitigaverit, alia torruerit. (Nonius v. *mitis* p. 343.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: cum adhibent in pecuda pastores. (Nonius v. *pecuda* p. 159.)

2 2 p. 111.] * * * | gratiam. quam commode ordines descripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus, nimis multis iam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem quaerunt aliquo plebei scito reddendorum equorum.

3 3 Considerate nunc cetera quam sint provisa sapienter ad illam civium beate et honeste vivendi societatem; ea p. 112.] est enim | prima causa coëundi et id hominibus effici ex re publica debet partim institutis, alia legibus. principio disciplinam puerilem ingenuis, de qua Graeci multum frustra laborarunt et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum neglegentiam accusat, nullam certam aut destinatam legibus aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt. nam * * *

[*Desiderantur minimum quattuor paginae.*]

Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regantur. (Servius *ad Verg. Aen.* V, 546.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: non modo ut Spartae, rapere ubi pueri et clepere discunt. (Nonius v. *clepere* p. 20.)

De Cretensibus accepimus, quod in amores puerorum intemperantes fuerint, quod postea in Laconas et in totam Graeciam translatum est, adeo ut Cicero dicat in libris de re publica opprobrio fuisse adulescentibus, si amatores non haberent. (Servius *ad Verg. Aen.* X, 325.)

* * * | nudari puberem. ita sunt alte repe- [p. 113. 4 4
tita quasi fundamenta quaedam verecundiae. iuventutis vero exercitatio quam absurda in gymnasiis! quam levis epheborum illa militia! quam contrectationes et amores soluti et liberi! mitto apud Eleos et Thebanos, apud quos in amore ingenuorum libido etiam permissam habet et solutam licentiam: Lacedaemonii ipsi cum|om- [p. 114. nia concedunt in amore iuvenum praeter stuprum, tenui sane muro dissaepiunt id, quod excipiunt; 'conplexus enim concubitusque permittunt palliis interiectis.' hic Laelius: 'praeclare intellego, Scipio, te in iis Graeciae disciplinis, quas reprehendis, cum populis nobilissimis malle quam cum tuo Platone luctari, quem ne attingis quidem, praesertim cum * * *.

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Et noster Plato 5 5
magis etiam quam Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, ne quis civis propriam aut suam rem ullam queat dicere. (Nonius v. *proprium* p. 362.)

Plato . . . quia deum ignoravit, in multis ita lapsus est, ut nemo deterius erraverit, in primis quod in libris civilibus omnia omnibus voluit esse communia. de patrimoniis tolerabile est, licet sit iniustum; nec enim aut obesse cuiquam debet, si sua industria plus habet, aut prodesse, si sua culpa minus; sed, ut dixi, potest aliquo modo ferri: etiamne coniuges, etiamne liberi communes erunt? non erit sanguinis ulla distinctio nec genus certum nec familiae nec cognationes nec adfinitates, sed sicut in gregibus pecudum confusa et indiscreta omnia; nulla erit in viris continentia, nulla in feminis pudicitia. quis esse in utrisque amor coniugalis potest, in quibus non est certus aut proprius adfectus? quis erit in patrem pius, ignorans unde sit natus? quis filium diliget, quem putabit alienum? quin etiam feminis curiam reseravit, militiam et magistratus et imperia

permisit. quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt! (Lactantius *Epit.* c. 38.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Ego vero eodem, quo ille Homerum redimitum coronis et delibutum unguentis emittit ex ea urbe, quam sibi ipse fingit. (Nonius v. *fingere* p. 308.)

6 *M. Tullius de re publ. lib. IIII:* Censoris iudicium nihil fere damnato nisi ruborem adfert. itaque, ut omnis ea iudicatio versatur tantum modo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. (Nonius v. *ignominia* p. 24.)

Idem de re publ. lib. IIII: Horum enim severitatem dicitur inhorruisse primum civitas. (Nonius v. *horrendum et horridum* p. 423.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, qui apud Graecos creari solet, sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus. (Nonius cap. VIIII, p. 499.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Ita magnam habet vim disciplina verecundiae: carent temeto omnes mulieres. (Nonius v. *temulenta* p. 5.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Atque etiam si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant. (Nonius v. *fama* p. 306.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Itaque a petendo petulantia, a procando, id est poscendo, procacitas nominata est. (Nonius v. *petulantia* p. 23, v. *procacitas* p. 24.)

7 *M. Tullius de re publ. lib IIII:* Nolo enim eundem populum imperatorem et portitorem esse terrarum; optimum autem et in privatis familiis et in re publica vectigal duco esse parsimoniam. (Nonius v. *portitores* p. 24.)

Fidei proprietatem exemplo manifestavit M. Tullius de re publ. lib. IIII: Fides enim nomen ipsum mihi videtur habere, cum fit quod dicitur. (Nonius v. *fidei* p. 24.)

Cicero de re publ. lib. IIII: In cive excelso atque homine nobili blanditiam, adsentationem, ambitionem † meam esse levitatis. (Nonius v. *blandimentum* p. 194.)

Intuere paululum ipsos de re publica libros, unde illum adfectum amantissimi civis ebibisti, quod nullus sit patriae consulendi modus aut finis bonis. intuere, obsecro te, et cerne quantis ibi laudibus frugalitas et continentia praedicetur et erga coniugale vinculum fides castique, honesti ac probi mores. (Augustinus *Epist.* XCI, 3. Tom. II, p. 224 ed. Bened.)

'Iurgium' et 'lis' hanc habent distantiam: iurgium 8
levior res est, si quidem inter benivolos aut propinquos 8
dissensio vel concertatio iurgium dicitur, inter inimicos dissensio lis appellatur. M. Tullius de re publ. lib. IIII: admiror, nec rerum solum sed verborum etiam elegantiam. si iurgant, inquit: benevolorum concertatio, non lis inimicorum iurgium dicitur. *et in sequenti:* iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. (Nonius v. *iurgium* p. 430.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: eosdem terminos hominum curae atque vitae; sic pontificio iure sanctitudo sepulturae . . . (Nonius v. *sanctitudo* p. 174.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: quod insepultos reliquissent eos, quos e mari propter vim tempestatis excipere non potuissent, innocentis necaverint. (Nonius v. *excipere* p. 293.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Nec in hac dissensione suscepi populi causam, sed bonorum. (Nonius cap. XII, p. 519.)

Cicero in IIII de re publica: Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil iuris inpertias aut parum. (Priscianus XV, 4, §. 20.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: cui quidem utinam vere fideliter † abundiente auguraverim. (Nonius v. *auguro* p. 469.)

Frustra hoc exclamante Cicerone, qui cum de poëtis 9
ageret: ad quos cum accessit, *inquit,* clamor et adpro- 9
batio populi quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras! quos invehunt metus! quas inflammant cupiditates! (Augustinus *de civit. dei* II, 14. Ioann. Sarisberiensis *Policrat.* VII, 9.)

Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus quo legat lyricos. (Seneca *ep.* 49, §. 5.)

Itemque Romani, quamvis iam superstitione noxia pre- 10
merentur, ut illos deos colerent, quos videbant sibi voluisse 10
scaenicas turpitudines consecrari, suae tamen dignitatis memores ac pudoris actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Graecorum, sed sicut apud Ciceronem idem Scipio loquitur: Cum artem ludicram scaenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt. (Augustinus *de civit. dei* II, 13.)

Quid autem hinc senserint Romani veteres, Cicero testa- 11

tur in libris, quos de re publica scripsit, ubi Scipio disputans ait: numquam comoediae, nisi consuetudo vitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent. *et Graeci quidem antiquiores vitiosae suae opinionis quandam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret. itaque, sicut in eisdem libris loquitur Africanus,* quem illa non attigit vel potius quem non vexavit? cui pepercit? esto: popularis homines inprobos, in re publica seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit. patiamur, *inquit,* etsi eius modi cives a censore melius est quam a poëta notari: sed Periclen, cum iam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et agi in scaena non plus decuit quam si Plautus, *inquit,* noster voluisset aut Naevius Publio et Gnaeo Scipioni*bus* aut Caecilius Marco
12 Catoni male dicere. *deinde paulo post:* nostrae, *inquit,* contra duodecim tabulae, cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri. praeclare; iudiciis enim magistratuum, disceptationibus legitimis propositam vitam, non poëtarum ingeniis habere debemus nec probrum audire nisi ea lege, ut respondere liceat et iudicio defendere. *haec ex Ciceronis quarto de re publica libro ad verbum excerpenda arbitratus sum, non nullis propter faciliorem intellectum vel praetermissis vel paululum commutatis, multum enim ad rem pertinent, quam molior explicare, si potero. dicit deinde alia et sic concludit hunc locum, ut ostendat* veteribus displicuisse Romanis vel laudari quemquam in scaena vivum hominem vel vituperari. (Augustinus *de civit. dei* II, 9.)

11 Comoediam esse *Cicero ait* imitationem vitae, specu-
13 lum consuetudinis, imaginem veritatis. (Donatus *de com. et trag.* p. LVII. Terent. ed. Westerh.)

Ad hanc convenientiam pertinet, quod etiam scaenicos actores earundem fabularum non parvo civitatis honore dignos existimarunt, si quidem, quod in eo quoque de re publica libro commemoratur, et Aeschines Atheniensis, vir eloquentissimus, cum adulescens tragoedias actitavisset, rem publicam capessivit, et Aristodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis et belli legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt. (Augustinus *de civit. dei* II, 11.)

Οὔτε γὰρ ἅπασα τέρψις μεμπτὸν οὔτε τῆς μουσικῆς 12 14
αὕτη τέλος, ἀλλ' ἡ μὲν ψυχαγωγία κατὰ τὸ συμβεβηκός, σκοπὸς δὲ ὁ προκείμενος ἡ πρὸς ἀρετὴν ὠφέλεια· ὅπερ πολλούς τε ἄλλους ἔλαθε καὶ τὸν ἐν τοῖς Κικέρωνος τοῦ Ῥωμαίου πολιτικοῖς τὰ κατὰ μουσικῆς διαλεχθέντα· οὐ γὰρ ἔγωγ' ἂν φαίην ἐκείνῳ τὰ τοιαῦτα εἰρῆσθαι· πῶς γὰρ ἄν τις αὐτὸν ἰσχυρίσαιτο μουσικὴν λοιδορεῖν τε καὶ ὡς φαύλην εὐθύνειν τέχνην, ἁρμονιῶν τε καὶ ῥυθμῶν ἀρετάς τε καὶ κακίας διορίζουσαν, ἄνδρα, ὃς τὸ τηνικαῦτα ῥυθμοῖς μόνοις καὶ τούτοις ἀγενέσι καὶ φαύλοις ἐπιδεικνύμενον Ῥώσκιον τὸν ὀρχηστὴν οὕτω σφόδρα ἐξεπλήττετο, ὥστε φάσκειν αὐτὸν προνοίᾳ θεῶν εἰς ἀνθρώπους παρελθεῖν. καὶ γὰρ εἴ τις αὐτὸν φάσκοι τὰ μὲν ἐν ῇ συγγέγραφε πολιτείᾳ λέγειν ἑκουσίως, τὰ δὲ περὶ Ῥώσκιον προκειμένης ἕνεκεν ὑποθέσεως, ἀντιστρέφειν μὲν καὶ ἡμᾶς οὐδὲν κωλύσει τὸν αὐτὸν λόγον. ἀλλ' ὅμως καὶ οὕτως λάθοι τις ἂν ἀποδοκιμάζων μᾶλλον, ὅσον εἰς τὴν παροῦσαν σκέψιν, ἢ συνιστὰς τὸν ῥήτορα· ἀναξιόπιστος γὰρ πρὸς ἀληθείας εὕρεσιν ἢ δικαίαν κρίσιν ὁ ταῖς κατ' αὐλὴν ἢ κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν, ἀλλὰ μὴ ταῖς κατ' οὐσίαν δουλεύων ὑποθέσεσιν. οἶμαι δὲ ὡς οὐδ' ἂν αὐτὴν ἔψεγε ῥητορικὴν διὰ τοὺς δεκαζομένους τῶν ῥητόρων. οὕτω δὴ καὶ εἴ τινες τῶν τεχνιτῶν διὰ τὸ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν τὰ ἀγενῆ μελῳδοῦσιν, οὐ τῆς τέχνης τὸ αἰτίαμα. ἀλλὰ καὶ ἡ πατρὶς αὐτοῦ τοὺς μὲν ἐπὶ Νομᾶ καὶ τοὺς ὀλίγῳ μετ' αὐτόν, ἔτι τυγχάνοντας ἀγριωτέρους, μουσικῇ παιδευομένους εἶχε, καθὰ καὶ αὐτός φησιν, ἰδίᾳ τε ἐν εὐωχίαις κοινῇ τε ἐν ἁπάσαις τελεταῖς σφίσι συνοργιαζούσῃ. (Aristides Quintilianus *de musica* lib. II. pag. 69—71 ed. Meibom.)

Maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent. (Valerius Maximus II, 1, §. 10.)

Fac derivata ab eo (sc. *arma*). *Armarium, armamentum, armamentarium,* armillae, *quae nunc brachialia vocant; sic Cicero in quarto de re publica.* (Priscianus *partitt. XII vers. Aen.* 1, §. 14 p. 462 ed. Keil.)

M. TULLII CICERONIS
DE RE PUBLICA
LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Hoc libro Scipio, qui ad unum principem summam totius rei publicae administrationem ac procurationem deferri vult, id maxime egisse videtur, ut perfectam eius imaginem informaret. Itaque, quantum videre licet, de paranda rei publicae gerendae scientia, de imperio summi magistratus sapienter definiendo, de officiorum rationibus exposuit. Ad hunc de iucundis cautionibus locum Maius recte referre videtur Quinctiliani declamationem CCLXVIII. contra contionatores seditiosos ex hoc Ciceronis libro repetitam. Ipse quidem Tullius, ut supra in adumbrando civitatis gubernatore Politicum Platonis, sic eiusdem librum de Legibus undecimum in impugnandis importunis illis oratoribus ob oculos habuisse videtur.

---

1 *Quando ergo res publica Romana talis erat, qualem*
1 *illam describit Sallustius, non iam pessima ac flagitiosissima, sicut ipse ait, sed omnino nulla erat secundum istam rationem, quam disputatio de re publica inter magnos eius tum principes habita patefecit, sicut etiam ipse Tullius non Scipionis nec cuiusquam alterius, sed suo sermone loquens in principio quinti libri commemorato prius Ennii poëtae versu, quo dixerat*

moribus antiquis res stat Romana virisque,

quem quidem ille versum, *inquit,* vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur; nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri praefuissent, aut fundare aut tam diu tenere potuissent tantam et tam fuse lateque imperantem rem publicam. itaque ante nostram memoriam et mos ipse patrius praestantis viros adhibebat et veterem morem ac maiorum instituta retinebant excellentes

viri. nostra vero aetas, cum rem publicam sicut picturam accepisset egregiam, sed iam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus isdem quibus fuerat renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem eius et extrema tamquam liniamenta servaret. quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed iam ignorentur. nam de viris quid dicam? mores enim ipsi interierunt virorum penuria, cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodam modo dicenda causa est. nostris enim vitiis, non casu aliquo, rem publicam verbo retinemus, re ipsa vero iam pridem amisimus. *haec Cicero fatebatur longe quidem post mortem Africani, quem in suis libris fecit de re publica disputare.* (Augustinus *de civit. dei* II, 21, 3. *conf.* II, 25, 2.) 2

Ius civile per multa saecula inter sacra caerimoniasque deorum immortalium abditum solisque pontificibus notum Cn. Flavius, libertino patre genitus et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus aedilis curulis vulgavit ac fastos paene toto foro exposuit. (Valerius Maximus II, 5, §. 2; *cf. Cic. ad Att.* VI, 1, §§. 8 et 18.)

* * * *Nihil esse tam* | regale quam explana- [p. 247. 2 3
tionem aequitatis, in qua iuris erat interpretatio, quod ius privati petere solebant a regibus, ob easque causas agri arvi et arbusti et pascui lati atque uberes definiebantur, qui essent regii [qui] colerenturque sine regum opera et labore, ut eos nulla privati negotii cura a populorum rebus abduceret; nec vero quisquam privatus erat disceptator aut arbiter litis, sed omnia con|fi- [p. 248. ciebantur iudiciis regiis. et mihi quidem videtur Numa noster maxime tenuisse hunc morem veterem Graeciae regum. nam ceteri, etsi hoc quoque munere fungebantur, magnam tamen partem bella gesserunt et eorum iura coluerunt: illa autem diuturna pax Numae mater huic urbi iuris et religionis fuit, qui legum etiam scriptor fuisset, quas scitis exstare, quod quidem huius civis proprium, de quo agimus * * *

M. Tullius de re publ. lib. V: sed tamen ut bono pa- 3 4

tri familias colendi, aedificandi, ratiocinandi quidam usus opus est. (Nonius cap. VIIII, p. 497.)

p. 253.] * * * *ra* dicum seminumque cognoscere num te offendet?' 'nihil, si modo opus exstabit.' 'num id studium censes esse vilici?' 'minime: quippe cum agri culturam saepissime opera deficiat.' 'ergo, ut vilicus naturam agri novit, dispensator litteras scit, uterque autem se a scientiae delectatione ad efficiendi utilitatem refert, sic noster hic rector studuerit sane iuri et legibus p. 254.] cognoscendis, fontis quidem earum utique per|spexerit, sed se responsitando et lectitando et scriptitando ne inpediat, ut quasi dispensare rem publicam et in ea quodam modo vilicare possit, summi iuris peritissimus, sine quo iustus esse nemo potest, civilis non inperitus, sed ita, ut astrorum gubernator, physicorum medicus; uterque enim illis ad artem suam utitur, sed se a suo munere non inpedit. illud autem videbit hic vir * * *

4 6 p. 199.] * * * *civi*|tatibus, in quibus expetunt laudem optumi et decus, ignominiam fugiunt ac dedecus; nec vero tam metu poenaque terrentur, quae est constituta legibus, quam verecundia, quam natura homini dedit quasi quendam vituperationis non iniustae timorem: hanc ille rector rerum publicarum auxit opinionibus perfecitque institutis et disciplinis, ut pudor civis non minus a delictis p. 200.] arceret quam metus. atque haec | quidem ad laudem pertinent, quae dici latius uberiusque potuerunt.

5 7 Ad vitam autem usumque vivendi ea descripta ratiost iustis nuptiis, legitimis liberis, sanctis Penatium deorum Larumque familiar*i*um sedibus, ut omnes et communibus commodis et suis uterentur, nec bene vivi sine bona re publica posset nec esset quicquam civitate bene constituta beatius. quocirca permirum mihi videri solet, quae si tanta doc * * *

6 8 *Consumo igitur omne tempus considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus. tenesne igitur moderatorem illum rei publicae quo referre velimus omnia? nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio:* Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic huic moderatori rei publicae beata civium

vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit; huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse perfectorem volo. (Cic. *ad Att.* VIII, 11.)

Et ubi est, quod et vestrae litterae illum laudant patriae rectorem, qui populi utilitati magis consulat quam voluntati? (Augustinus *epist. ad Nectarium* CIV, c. 2, §. 7 p. 291 ed. Benedict.)

Tullius hinc dissimulare non potuit in eisdem libris, 7 9
quos de re publica scripsit, ubi loquitur de instituendo principe civitatis, quem dicit alendum esse gloria, *et consequenter commemorat* maiores suos multa mira atque praeclara gloriae cupiditate fecisse. (Augustinus *de civit. dei* V, 13.)

Tullius in libris de re publica scripsit, scilicet principem civitatis gloria esse alendum et tam diu stare rem publicam, quam diu ab omnibus honor principi exhiberetur. (Petrus Pictaviensis *Epist. ad calumn.* Bibl. PP. Lugd. T. XXII, pag. 824.)

M. Tullius de re publica lib. V: tum virtute, labore, industria tueretur summi viri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo — (Nonius v. *anima* pag. 233.)

'Contemptus' generis masculini, 'contemptio' feminini M. Tullius de re publ. lib. V: quae virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisque magna contemptio. (Nonius p. 201.)

'Lentum' significat tardum. M. Tullius de re publ. 8 10
lib. V: Marcellus ut acer et pugnax, Maximus ut consideratus et lentus. (Nonius p. 337.)

'Orbi' pro orbe Ciceronem de re publica libro V: 'orbi terrarum conprehensos' . . . *Plinius eodem libro VI notat.* (Charisius I. p. 112 P., p. 139 ed. Keil.)

M. Tullius de re publ. lib. V: quod molestias senectutis suae vestris familiis inpertire posset. (Nonius v. *impertire* p. 37.)

Postea hoc etiam addidit (*Seneca*) *insulsissime: 'apud* 9 11
ipsum quoque' inquit 'Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intellegas illum non perdidisse operam, quod Ennium legit.' ponit deinde quae apud Cice-

ronem reprehendat quasi Enniana, quod ita scripserit in libris de re publica: ut Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas, *et quod alio in loco dixerit:* breviloquentiam in dicendo colat. (A. Gellius *noct. Att.* XII, 2, §. 6.)

Horum obstinatione libertatem temeritas, constantiam audacia praeceps, eloquentiam inanis quaedam imitatur fluentia loquendi, quarum artium scaevitate, ut Tullius adseverat, nefas est religionem decipi iudicantis. ait enim: Cumque nihil tam incorruptum esse debeat in re publica quam suffragium, quam sententia, non intellego cur qui ea pecunia corruperit poena dignus sit, qui eloquentia laudem etiam ferat: mihi quidem hoc plus mali facere videtur qui oratione quam qui pretio iudicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest. (Ammianus Marcellinus l. XXX, c. 4, §. 10.)

M. Tullius de re publ. lib. V: Quae cum Scipio dixisset, admodum probans Mummius; erat enim odio † quorum rhetorum inbutus . . . (Nonius v. *inbuere* p. 521.)

Cicero de re publica libro V: tum in optimam segetem praeclara essent sparsa semina. (Commentator anonymus ad Verg. *Georg. I init. apud Bandini Catal. codd. lat. bibl. Laur.* II, 348.)

M. TULLII CICERONIS DE RE PUBLICA LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Quas res sexto libro complexus Cicero fuerat, plerasque ignoramus; etenim minutiora et dissoluta fragmenta parum nos edocent: quamquam, si ea emendate a grammaticis adferuntur, constat in sexto quoque libro continuatum esse de rei publicae rectore sermonem; item dictum de seditionibus rerumque publicarum conversionibus earumque causis, verbi gratia luxu, ambitione, libidine, depravatis moribus. Sed tamen de religione certe in hac postrema operis parte quin disputatum fuerit non dubito; nam et Laelii de religione oratio commemoratur et ad illum somnii admirabilem epilogum auctor non potuit nisi hac ratione pervenire. Actum praeterea est de praemiis virtutis et de immortalitate animorum, cuius utriusque rei testem habemus Macrobium in somnii commentatione, eaque Platonis imitatio fuit, qui postremam eamque satis magnam librorum de re publica partem in eo argumento consumpsit. Enumeratis igitur iis, quae inter homines habentur, virtutis praemiis, cum ea satis facere non viderentur, immo nulla aliquando essent, sermo Ciceronis paulatim eo delapsus est, ut in dialogo bonis viris et bene de re publica meritis post obitum aeterna praemia et caelestia esse rependenda adseveraret. Quod cum ita sit, immortales esse animos necesse est; de quo praecepto cum aliis locis praeclare disseruit Cicero, tum in hoc libro non perfunctoria oratione disputavisse credendus est. Tum quia Plato in Politiae suae extrema parte virum quendam ad vitam revocatum finxit eumque praemia bonorum et malorum supplicia, quae viderat, narrantem induxit, Cicero quoque defensa Platonis narratione contra derisores quosdam, aliam similis artificii fabulam componit hominis non illius quidem reviviscentis, sed narrantis somnium, quo demonstraret ampliora virtutum manere praemia quam orbis vitae humanae habere soleret. Atque ita haec de re publica disputatio nobilissima conclusa est.

Quod si ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non 1 1
esset, quam tu quoque adprobas, ne tu haud multum requi-

reres illum virum, qui in sexto libro informatus est. quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? quin nunc ipsum non dubitabo rem tantam abicere, si id erit rectius. utrumque vero simul agi non potest, et de triumpho ambitiose et de re publica libere. (Cicero *ad Att.* VII, 3, 2.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Totam igitur exspectas prudentiam huius rectoris, quae ipsum nomen hoc nacta est ex providendo. (Nonius v. *prudentia* pag. 42.)

In Politia sua dicit Tullius rei publicae rectorem summum virum et doctissimum esse debere, ita ut sapiens sit et iustus et temperans et eloquens, ut possit facile currente eloquentia animi secreta ad regendam plebem exprimere. scire etiam debet ius, Graecas nosse litteras, quod Catonis facto probatur, qui in summa senectute Graecis litteris operam dans indicavit quantum utilitatis haberent. (Commentarius ms. in Cic. de invent. apud Osannum p. 349.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Quam ob rem se comparet hic civis ita necessest, ut sit contra haec, quae statum civitatis permovent, semper armatus. (Nonius v. *comparare* p. 256.)

Seditionis proprietas a M. Tullio manifestata est in lib. de re publica VI: eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur. (Nonius p. 25 et Servius *ad Aen.* I, 149.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Et vero in dissensione civili, cum boni plus quam multi valent, expendendos civis, non numerandos puto. (Nonius XII, pag. 519.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Graves enim dominae cogitationum lubidines infinita quaedam cogunt atque imperant, quae quia nec expleri nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus inpellunt eos, quos inlecebris suis incenderunt. (Nonius v. *expleri* p. 424.)

'Ferocia' pro ferocitate. M. Tullius de re publ. lib. VI: qui conpescit eius vim et ecfrenatam illam ferociam. (Nonius p. 492.)

2 2 *Cicero in libro sexto de re publica ita scripsit:* quod quidem eo fuit maius, quia, cum causa pari collegae essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii

invidiam Gracchi caritas deprecabatur. (Gellius *noct. Att.* VI, 16, §. 11. Nonius p. 290.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: qui numeros optimatium et principum obtudit his vocibus, et gravitatis suae liquit illum tristem et plenum dignitatis sonum. (Nonius v. *triste* p. 409.)

Genetivus pro nominativo. M. Tullius de re publ. lib. VI: ut, quem ad modum scribit ille, cotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent. (Nonius cap. VIIII, p. 501. *cf.* Athen. XII, c. 31.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: in his, ut meministis, concursu levissimae multitudinis et aere congesto funus de subito esset ornatum. (Nonius v. *de subito* p. 517.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: firmiter enim maiores nostri stabilita matrimonia esse voluerunt. (Nonius v. *firmiter* p. 512. et Priscianus XV, 3, §. 13.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: oratio Laelii, quam omnes habemus in manibus, quam simpula pontificum dis inmortalibus grata sint Samiaeque, uti scribit, cappudines. (Nonius v. *Samium* p. 398.)

Imitatione Platonis Cicero de re publica scribens locum 3
etiam de Eris Pamphyli reditu in vitam, qui, *ut ait,* rogo inpositus revixisset multaque de inferis secreta narrasset, *non fabulosa, ut ille, assimilatione commentus est, sed sollertis somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans* haec, quae de animae inmortalitate dicerentur caeloque, *non* somniantium philosophorum esse commenta nec fabulas incredibilis, quas Epicurei derident, sed prudentium coniecturas. *insinuat Scipionem illum, qui Karthagine subiugata cognomen familiae peperit Africanum, huic Scipioni, Pauli filio, futuras a propinquis insidias et fatalis metae denuntiare curriculum, quod necessitate numerorum in vitae perfectae tempora coartetur, ponitque illum aetatis suae quinquagesimo ac sexto anno, duobus in se coëuntibus numeris absolutam caelo animam, unde acceperat, redditurum, quod et immortalis esset animi mentisque substantia et bene meritis de re publ. patriaeque custodibus lactei circuli lucida ac candens habitatio deberetur.* (Favonius Eulogius *Comm. ad somn. Scip.* pag. 438. Graev.)

4 *Non nulli nostri, propter quoddam praeclarissimum loquendi genus et propter non nulla, quae veraciter sensit, amantes Platonem dicunt eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensisse; quod quidem sic tangit in libris de re publica Tullius,* ut eum lusisse potius quam quod [id] verum esset, adfirmet dicere voluisse. *indicit enim hominem revixisse et narrasse quaedam, quae Platonicis disputationibus congruebant.* (Augustinus *de civit. dei* XXII, 28.)

5 *In hoc tamen vel maxime operis similitudinem servavit imitatio, quod cum Plato in voluminis* (*de re publ.*) *conclusione a quodam vitae reddito, quam reliquisse videbatur, indicari faciat qui sit exutarum corporibus status animarum, adiecta quadam sphaerarum vel siderum non otiosa descriptione, rerum facies non dissimilia significans a Tulliano Scipione per quietem sibi ingesta narratur.* (Macrobius *in somn. Scip.* I, 1, §. 2.)

6 *Hunc ordinem Tullius non minore iudicio reservans quam ingenio repertus est: postquam in omni rei publicae otio ac negotio palmam iustitiae disputando dedit, sacras immortalium animarum sedes et caelestium arcana regionum in ipso consummati operis fastigio locavit, indicans quo his perveniendum vel potius revertendum sit, qui rem publicam cum prudentia, iustitia, fortitudine ac moderatione tractaverint. sed ille Platonicus secretorum relator Er quidam nomine fuit, natione Pamphylus, miles officio, qui cum vulneribus in proelio acceptis vitam effudisse visus duodecimo demum die inter ceteros una peremptos ultimo esset honorandus igne, subito seu recepta anima seu retenta, quidquid emensis inter utramque vitam diebus egerat videratve, tamquam publicum professus indicium humano generi enuntiavit: hanc fabulam Cicero licet ab indoctis quasi ipse veri conscius doleat irrisam, exemplum tamen stolidae reprehensionis vitans excitari narraturum quam reviviscere*
7 *maluit. ac prius quam somnii verba consulamus, enodandum nobis est, a quo genere hominum Tullius memorat vel irrisam Platonis fabulam vel ne sibi idem eveniat non vereri. nec enim his verbis vult inperitum vulgus intellegi, sed genus hominum veri ignarum sub peritiae ostentatione, quippe quos et legisse talia et ad reprehendendum anima-*

tos constaret. dicemus igitur et quos in tantum philosophum referat quandam censurae exercuisse levitatem quisve eorum etiam scriptam reliquerit accusationem . . . Epicureorum tota factio, aequo semper errore a vero devia et illa existimans ridenda quae nesciat, sacrum volumen et augustissima irrisit naturae seria; Colotes vero inter Epicuri auditores loquacitate notabilior etiam in librum retulit quae de hoc amarius cavillatus est. sed cetera, quae iniuria notavit, si quidem ad somnium, de quo hic procedit sermo, non attinent, hoc loco nobis omittenda sunt: illam calumniam persequemur, quae nisi supplodetur, manebit Ciceroni cum Platone communis. ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona casusque excogitata novitas et composita advocati scaena figmenti ipsam quaerendi veri ianuam mendacio polluerunt? haec quoniam, dum de Platonico Ere iactantur, etiam quietem Africani nostri somniantis incusant, resistamus urgenti et frustra arguens refellatur, ut una calumnia dissoluta utriusque factum incolumem, ut fas est, retineat dignitatem. (Macrobius I, 1, §. 8—II, §. 5.)

Scipionem ipsum haec occasio ad narrandum somnium 8 8
provocavit, quod longo tempore se testatus est silentio condidisse; cum enim Laelius quereretur nullas Nasicae statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas, respondit Scipio post alia in haec verba: Sed quamquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium, tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentis nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. ‘quae tandem ista sunt?’ inquit Laelius. tum Scipio ‘patimini me, quoniam tertium diem iam feriati sumus, *et cetera, quibus ad narrationem somnii venit, docens illa esse stabiliora et viridiora praemiorum genera, quae ipse vidisset in caelo bonis rerum publicarum servata rectoribus.* (Macrobius I, 4, §. 2 sq.)

Somnium Scipionis.

(Numerus posterior, binis semicirculis circumscriptus, notat caput separatae olim Somnii editionis.)

9 9 (1.) Cum in Africam venissem M'. Manilio consuli ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum, nihil mihi fuit potius quam ut Masinissam convenirem regem, familiae nostrae iustis de causis amicissimum: ad quem ut veni, conplexus me senex conlacrimavit aliquantoque post suspexit ad caelum et 'grates' inquit 'tibi ago, summe Sol, vobisque, reliqui caelites, quod ante quam ex hac vita migro conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor, itaque numquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria.' deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra re publica percontatus est, multisque verbis ultro citroque habitis ille nobis est con-
10 10 sumptus dies. post autem adparatu regio accepti sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur omniaque eius non facta solum, sed etiam dicta meminisset. deinde, ut cubitum discessimus, me et de via et qui ad multam noctem vigilassem, artior quam solebat somnus conplexus est. hic mihi — credo equidem ex hoc, quod eramus locuti; fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui — Africanus se ostendit ea forma, quae mihi ex imagine eius quam ex ipso erat notior; quem ubi agnovi, equidem cohorrui, sed ille 'ades' inquit 'animo et omitte timorem, Scipio, et quae dicam trade memoriae.

11 11 (2.) Videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me renovat pristina bella nec potest quiescere? — ostendebat autem Karthaginem de excelso et pleno stellarum inlustri et claro quodam loco — ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles: hanc hoc biennio consul evertes eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. cum autem Karthaginem deleveris, triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam,

Graeciam, deligere iterum consul absens bellumque maximum conficies, Numantiam exscindes; sed cum eris curru in Capitolium invectus, offendes rem publicam consiliis perturbatam nepotis mei. hic tu, Africane, 12 12
ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. nam cum aetas tua septenos octiens solis anfractus reditusque converterit, duoque ii numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur; tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus, ac, ne multa, dictator rem publicam constituas oportet, si inpias propinquorum manus effugeris.' — hic cum exclamasset Laelius ingemuissentque vehementius ceteri, leniter adridens Scipio 'st! quaeso,' inquit 'ne me e somno excitetis, et parumper audite cetera.' — (3.) 'sed quó sis, Afri- 13 13
cane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur; nihil est enim illi principi deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur: harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur.'

Hic ego, etsi eram perterritus non tam mortis metu 14 14
quam insidiarum a meis, quaesivi tamen viveretne ipse et Paulus pater et alii, quos nos exstinctos esse arbitraremur. 'immo vero' inquit 'ii vivunt, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt, vestra vero quae dicitur vita mors est. quin tu aspicis ad te venientem Paulum patrem?' quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi, ille autem me conplexus atque osculans flere prohibebat. atque ego ut primum fletu represso 15 15
loqui posse coepi, 'quaeso,' inquam 'pater sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero?' 'non est ita:' inquit ille 'nisi enim deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicis, istis te

corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non
potest; homines enim sunt hac lege generati, qui tueren-
tur illum globum, quem in hoc templo medium vides,
quae terra dicitur, iisque animus datus est ex illis sem-
piternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis, quae glo-
bosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circulos
suos orbisque conficiunt celeritate mirabili. qua re et
tibi, Publi, et piis omnibus retinendus animus est in
custodia corporis nec iniussu eius, a quo ille est vobis
datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus [hu-
16 manum] adsignatum a deo defugisse videamini. sed sic,
16 Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam
cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et pro-
pinquis, tum in patria maxima est: ea vita via est in
caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt et
corpore laxati illum incolunt locum, quem vides' — erat
autem is splendidissimo candore inter flammas circus
elucens —, 'quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem
lacteum nuncupatis.' ex quo omnia mihi contemplanti
praeclara cetera et mirabilia videbantur. erant autem
eae stellae, quas numquam ex hoc loco vidimus, et eae
magnitudines omnium, quas esse numquam suspicati
sumus, ex quibus erat ea minima, quae ultima a caelo,
citima terris, luce lucebat aliena. stellarum autem globi
terrae magnitudinem facile vincebant. iam ipsa terra
ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi
17 punctum eius attingimus, paeniteret: (4.) quam cum ma-
17 gis intuerer, 'quaeso,' inquit Africanus 'quousque humi
defixa tua mens erit? nonne aspicis quae in templa ve-
neris? novem tibi orbibus vel potius globis conexa sunt
omnia, quorum unus est caelestis, extimus, qui reliquos
omnis conplectitur, summus ipse deus, arcens et conti-
nens ceteros, in quo sunt infixi illi, qui volvuntur, stella-
rum cursus sempiterni; cui subiecti sunt septem, qui
versantur retro contrario motu atque caelum. ex quibus
unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam
nominant; deinde est hominum generi prosperus et salu-
taris ille fulgor, qui dicitur Iovis; tum rutilus horribilis-
que terris, quem Martium dicitis; deinde subter mediam
fere regionem sol obtinet, dux et princeps et moderator

luminum reliquorum, mens mundi et temperatio, tanta
magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et conpleat;
hunc ut comites consequuntur Veneris alter, alter Mer-
curii cursus, in infimoque orbe luna radiis solis accensa
convertitur: infra autem iam nihil est nisi mortale et
caducum praeter animos munere deorum hominum ge-
neri datos, supra lunam sunt aeterna omnia· nam ea,
quae est media et nona, tellus, neque movetur et infima
est et in eam feruntur omnia nutu suo pondera.' 18

(5.) Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, 'quid? 18
hic' inquam 'quis est qui conplet auris meas tantus et
tam dulcis sonus?' 'hic est' inquit 'ille, qui intervallis
disiunctus inparibus, sed tamen pro rata parte ratione
distinctis inpulsu et motu ipsorum orbium efficitur et
acuta cum gravibus temperans varios aequabiliter con-
centus efficit; nec enim silentio tanti motus incitari pos-
sunt et natura fert ut extrema ex altera parte graviter,
ex altera autem acute sonent. quam ob causam sum-
mus ille caeli stellifer cursus, cuius conversio est conci-
tatior, acuto et excitato movetur sono, gravissimo autem
hic lunaris atque infimus: nam terra nona inmobilis ma-
nens una sede semper haeret, conplexa medium mundi
locum. illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est
duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos, qui
numerus rerum omnium fere nodus est, quod docti ho-
mines nervis imitati atque cantibus aperuerunt sibi redi-
tum in hunc locum, sicut alii, qui praestantibus ingeniis
in vita humana divina studia coluerunt. hoc sonitu op- 19
pletae aures hominum obsurduerunt; nec est ullus he-
betior sensus in vobis, sicut, ubi Nilus ad illa, quae
Catadupa nominantur, praecipitatur ex altissimis monti-
bus, ea gens, quae illum locum adcolit, propter magni-
tudinem sonitus sensu audiendi caret. hic vero tantus
est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut
eum aures hominum capere non possint, sicut intueri
solem adversum nequitis eiusque radiis acies vestra sen-
susque vincitur.' haec ego admirans referebam tamen
oculos ad terram identidem. (6.) tum Africanus 'sentio' 19 20
inquit 'te sedem etiam nunc hominum ac domum con-
templari: quae si tibi parva, ut est, ita videtur, haec

16 *

caelestia semper spectato, illa humana contemnito: tu enim quam celebritatem sermonis hominum aut quam expetendam gloriam consequi potes? vides habitari in terra raris et angustis in locis et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interiectas, eosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis, a quibus exspectare gloriam certe nullam potestis.
20 21 cernis autem eandem terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis, e quibus duos maxime inter se diversos et caeli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos obriguisse pruina vides, medium autem illum et maximum solis ardore torreri. duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo qui insistunt adversa vobis urguent vestigia, nihil ad vestrum genus; hic autem alter subiectus aquiloni, quem incolitis, cerne quam tenui vos parte contingat: omnis enim terra, quae colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terris,
22 qui tamen tanto nomine quam sit parvus vides. ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum aut cuiusquam vestrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit vel illum Gangen tranatare? quis in reliquis orientis aut obeuntis solis ultimis aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis cernis profecto quantis in angustiis vestra se gloria dilatari velit. ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam lo-
21 23 quentur diu? (7.) quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unius cuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus. quid autem interest ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sunt? qui nec
22 24 pauciores et certe meliores fuerunt viri, praesertim cum apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni memoriam consequi possit. homines

enim populariter annum tantum modo solis, id est, unius astri reditu metiuntur: cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint eandemque totius caeli descriptionem longis intervallis rettulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest; in quo vix dicere audeo quam multa hominum saecula teneantur. namque ut olim deficere sol hominibus exstinguique visus est, cum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit, quandoque ab eadem parte sol eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad principium stellisque revocatis expletum annum habeto, cuius quidem anni nondum vicesimam partem scito esse conversam. quo- 23
circa si reditum in hunc locum desperaveris, in quo om- 25
nia sunt magnis et praestantibus viris, quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? igitur alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus volgi dederis nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te oportet inlecebris ipsa virtus trahat ad verum decus, quid de te alii loquantur ipsi videant, sed loquentur tamen. sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides, nec umquam de ullo perennis fuit et obruitur hominum interitu et oblivione posteritatis exstinguitur.'

(8.) Quae cum dixisset, 'ego vero,' inquam 'Africane, 24
si quidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli 26
aditum patet, quamquam a pueritia vestigiis ingressus patris et tuis decori vestro non defui, nunc tamen tanto praemio exposito enitar multo vigilantius.' et ille: 'tu vero enitere et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc; nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. deum te igitur scito esse, si quidem est deus, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus; et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. nam quod semper movetur aeternum est, quod 25
autem motum adfert alicui quodque ipsum agitatur ali- 27

unde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. solum igitur quod se ipsum movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. principii autem nulla est origo: nam e principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde; quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. nam principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur nec ex se aliud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. ita fit ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest nec mori, vel concidat omne caelum omnisque natura et consistat necesse est nec vim ullam nanciscatur, qua a primo inpulsa moveatur.
25 28 (9.) cum pateat igitur aeternum id esse, quod a se ipso
moveatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo; nam haec est propria natura animi atque vis, quae si est una ex omnibus, quae se ipsa mo-
29 veat, neque nata certe est et aeterna est. hanc tu exerce
optimis in rebus; sunt autem optimae curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit; idque ocius faciet, si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea, quae extra erunt, contemplans quam maxime se a corpore abstrahet. namque eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praebuerunt inpulsuque libidinum voluptatibus oboedientium deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur nec hunc in locum nisi multis exagitati saeculis revertuntur.' ille discessit, ego somno solutus sum.

LIBRORUM DE RE PUBLICA INCERTORUM FRAGMENTA.

1. *M. Tullius de re publica:* idque ipsa natura non invitaret solum, sed etiam cogeret. (Nonius v. *invitare* p. 321.)

2. *Non nulli veterum etiam activo more tempus futurum imperativo modo ex verbis quoque passivae declinationis usurpaverunt, ut Tullius in dialogis de re publica* nitito, *cum 'nitor' sit positio verbi.* (Diomedes p. 330 P., 339 sq. ed. Keil.)

3. *Excello legimus crebro apud veteres, ut Cicero de re publica* excellunt. (Diomedes p. 371 P., 374 K.)

4. *Haec virtus in rhetoricis a Cicerone eadem ponitur quae sapientia; alibi vero, id est in libris de re publica, ab eodem Cicerone illa virtus dicitur quae prudentia.* (Victorinus *in prooemio ad I. Rhet. Cic.* pag. 3 Schol. Cic. ed. Orell.)

[5. *Mirabamur illam sententiam Tullianam, ex internis veritatis ipsius promulgatam, quae est talis:* Et quamquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere, illa tamen aequabilitas vitae non tantum habet sensum, quantum cum ex saevis et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur. (Ammianus Marcellinus XV, 5, §. 23.)]

[6. *Neque enim aliunde beata civitas, aliunde homo, cum aliud civitas non sit quam concors hominum multitudo.* (Augustinus *de civit. dei* I, 16.)]

7. *Cicero in dialogis nominavit* foedifragos Afros. (Interpres Cruquianus *ad Horat. carm.* IIII, 8, 17. *cf.* Cic. *de offic.* I, 38.)

8. *Rhetorice spem laudat (Vergilius) in puero, quia facta non invenit. est autem Ciceronis in dialogo:* Fanni, causa difficilis laudare puerum; non enim res laudanda, sed spes est. (Servius ad *Verg. Aen.* VI, 877.)

9. *Apud Ennium sic loquitur Africanus:*

si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam est,
mi soli caeli maxima porta patet:

scilicet, quia magnam partem generis humani exstinxit ac

perdidit. o quantis in tenebris, Africane, versatus es! vel potius o poëta, qui per caedes et sanguinem patere hominibus in caelum ascensum putaveris! cui vanitati etiam Cicero adsensit. est vero, *inquit*, Africane; nam et Herculi eadem ista porta patuit. (Lactantius *Inst. div.* I, 18. *cf.* Seneca *epist.* 108, 34.)

10. *Eosdem libros* (*de re publ.*) *cum grammaticus explicuit, primum verba expressa* reapse *dici a Cicerone, id est 're ipsa', in commentarium refert, nec minus* sepse (III, 12.), *id est 'se ipse'. deinde transit ad ea, quae consuetudo saeculi mutavit, tamquam ait Cicero:* quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati. *hanc, quam nunc in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant. deinde Ennianos colligit versus et in primis illos de Africano scriptos:*

cui nemo civis neque hostis
quivit pro factis reddere opis pretium.

ex eo se ait intellegere (opem) apud antiquos non tantum auxilium significasse, sed operam. ait enim Ennius neminem potuisse Scipioni neque civem neque hostem reddere operae pretium. (Seneca epist. 108, §. 32 sq.)

[11. *Σωκράτη τε καὶ τοὺς ἀμφ᾽ αὐτόν τε καὶ ἐξ αὐτοῦ ἐρρυηκότας ποταμῶν ἐξ ὠκεανοῦ δίκην, θείους κατ᾽ ἀρετὴν καὶ παιδείαν γεγονότας ἄνδρας, οὐ τῆς Ἑλλάδος μόνης ἀλλὰ καὶ ὅλης φωστῆρας τῆς οἰκουμένης· ὧν Πλάτων καὶ Ξενοφῶν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ ὁ λοιπὸς τῶν φιλοσόφων ὅμιλος· εὖ γὰρ ὀνομάζει Κικέρων Σωκράτη ἀρχηγόν, καὶ ἵνα πλέον ῥωμαΐσω καὶ αὐτός, πρίγκιπα τῆς ὅλης καὶ ἀληθοῦς φιλοσοφίας ἐπικαλῶν.* (Petrus Magister *de politica scientia* in A. Maii coll. Vatic. II, pag. 608.)]

12. *Recte Cicero in libris de re publica scripsit:* Quicumque epulis et conviviis et sumptibus aestimationem hominum sibi conciliant, palam ostendunt sibi verum decus, quod ex virtute ac dignitate nascitur, deficere. (Anonymus *Paradoxa koronne ap. Bielowski Pompeii Trogi Fragm.* p. XV sq.)

13. *Cicero de re publica:* leniter atque placide fides, non vi et impetu, concuti debere. (Cod. manuscr. n. 458. p. 82. *biblioth. Ossolinianae.*)

M. TULLII CICERONIS DE LEGIBUS LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Cicero cum sex libris de re publica scriptis optimum rei publicae statum exposuisset, Platonis maxime exemplum secutus, hoc eodem auctore totidem libris etiam de legibus, quae in civitate a se constituta obtinendae essent, suam sententiam aperire voluit. Quod argumentum ita persecutus est, ut in colloquio, quod fingit se cum Quinto fratre et Attico suo a. u. 702. in Arpinati habuisse, eum locum pertractaret. Horum tamen librorum, quos neque perfecisse neque ipse edidisse videtur Tullius, non manserunt nisi tres eique non integri et librariorum erroribus valde corrupti, in quorum primo Cicero praemisso prooemio primum naturam iuris explicat eamque ab hominis natura repetit, deinde considerat quibus legibus civitas regi debeat, denique haec tractat, quae composita et descripta erant iura et iussa populorum, in his etiam populi Romani ius, quod civile dicitur (cap. 5). In hac autem disputatione usus est philosophorum more, non veterum illorum Socraticorum, Academicorum et Peripateticorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae. Nam, quae veteres illi fuse ac libere disputare consueverant, ea Ciceronis temporibus, in primis a Stoicis, articulatim dissecta dicebantur, quod negabant satis fieri huic de legibus loco posse, nisi separatim de singulis capitibus disputaretur (cap. 13). Primus liber tamquam fontes omnium legum omnisque iuris aperit et ultimam legem dicit esse mentem dei optimi maximi, omnia ratione iubentis et vetantis, a qua hominum vera lex proficiscatur, quae est ratio sapientis, apta ad iubendum et vetandum (cf. II. cap. 4). Atque hoc est argumentum huius libri eamque scholam certis capitibus distinguit. Primum igitur docet a deo, cuius numine ac mente omnia regantur, praeclara quadam condicione generatum esse hominem; praeter alia enim bona soli ex omnium animantium generibus ac naturis attributam esse rationem, quae cum adoleverit atque perfecta sit, sapientia nominetur, ut homini cum deo rationis societas sit et, quia ratio lex sit, communio iuris et quasi quaedam adgnatio, quod a deo ratio sit ingenerata (cap. 7—9). Deinde ostendit (cap. 10. 11.) hominum inter

ipsos esse propter summam similitudinem et aequalitatem summam societatem coniunctionemque; ex quo sequitur tertium, ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes ius nos natura esse factos, efficiturque, quod quibusdam incredibile videtur, est autem necessarium, uti nihilo sese magis quisquam quam alterum diligat (cap. 12). Ex his tribus tamquam principiis sua sponte intellegere quisque potest natura ius, non opinione et iudicio humano contineri (cap. 13—17). Sequitur alia brevis disputatio, qua efficitur ius et omne honestum sua sponte esse expetendum (cap. 18 sq.). Conclusio libri est de laudibus philosophiae et de Academicorum veterum Peripateticorumque et Stoicorum de bono et malo controversiis iisque magis de verbis quam de rebus.

---

1 1 *Atticus.* Lucus quidem ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario: si enim manet illa quercus, haec est profecto; etenim est sane vetus. *Quintus.* Manet vero, Attice noster, et semper manebit: sata est enim ingenio; nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna quam poëtae versu seminari potest. *Att.* Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poëtae serunt? mihi enim videris fratrem
2 laudando suffragari tibi. *Q.* Sit ita sane: verum tamen, dum Latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicetur, eaque, ut ait Scaevola de fratris mei Mario,

canescet saeclis innumerabilibus;

nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt aut, quod Homericus Ulixes Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem; multaque alia multis locis diutius commemoratione manent quam natura stare potuerunt. qua re glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

nuntia fulva Iovis, miranda visa figura,

nunc sit haec. sed cum eam tempestas vetustasve consumpserit, tamen erit his in locis quercus, quam Mariam [quercum] vocabunt. *Att.* Non dubito id quidem;
3 sed hoc *non* iam ex te, Quinte, quaero, verum ex ipso poëta, tuine versus hanc quercum severint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. *Marcus.* Respondebo tibi equidem, sed non ante quam mihi tu ipse responde-

ris, Attice, certene non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse et Quirinum vocari templumque sibi dedicari in eo loco iusserit, et verene Athenis non longe item a tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo sustulerit; sic enim est traditum. *Att.* Quorsum tandem aut cur ista 4
quaeris? *M.* Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quae isto modo memoriae sunt prodita. *Att.* Atqui multa quaeruntur in Mario fictane an vera sint, et a non nullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine versere, veritas a te postulatur. *M.* Et me hercule ego me cupio non mendacem putari, sed tamen non nulli isti, Tite noster, faciunt inperite, qui in isto periculo non ut a poëta, sed ut a teste veritatem exigant; nec dubito quin idem et cum Egeria conlocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem inpositum putent. *Q.* Intellego te, frater, alias in historia leges observan- 5
das putare, alias in poëmate. *M.* Quippe cum in illa ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraque: quamquam et apud Herodotum, patrem historiae, et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae.

Att. Teneo quam optabam occasionem neque omit- 2
tam. *M.* Quam tandem, Tite? *Att.* Postulatur a te iam diu et flagitatur potius historia; sic enim putant, te illam tractante effici posse ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. atque ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui in litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus, ut ea, quae salva per te est, per te eundem sit ornata; abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intellego et ex te persaepe audio. potes autem tu profecto satis facere in ea, quippe cum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime. quam ob rem adgredere, 6
quaesumus, et sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata aut relicta; nam post annalis pontificum maximorum, quibus nihil potest esse *in*iucundius, si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius

alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes? Fannii autem aetati coniunctus Antipater paulo inflavit vehementius habuitque viris agrestis ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit ut accuratius scriberent. ecce autem successere huic Gellius, Clodius, Asellio, nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam.

7 nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis; in orationibus autem multa, sed inepta elatio, summa inpudentia. Sisenna, meus amicus, omnis adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit; is tamen neque orator in numero vestro umquam est habitus et in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum neque praeterea quemquam de Graecis legisse videatur, eum tamen velle dum taxat imitari: quem si adsequi posset, aliquantum ab optumo tamen abesset. qua re tuum est munus hoc, a te exspectatur, nisi quid Quinto

3 8 videtur secus. *Q.* Mihi vero nihil, et saepe de isto conlocuti sumus; sed est quaedam inter nos parva dissensio. *Att.* Quae tandem? *Q.* A quibus temporibus scribendi capiatur exordium: ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem, ipse autem aequalem aetatis suae memoriam deposcit, ut ea conplectatur, quibus ipse interfuit. *Att.* Ego vero huic potius adsentior; sunt enim maximae res in hac memoria atque aetate nostra; tum autem hominis amicissimi Cn. Pompeii laudes inlustrabit, incurret etiam in illum memorabilem annum suum: quae ab isto malo praedicari quam, ut aiunt, de Remo et Romulo. *M.* Intellego equidem a me istum laborem iam diu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus et liberum; neque enim occupata opera neque inpedito animo res tanta suscipi potest: utrumque opus

9 est, et cura vacare et negotio. *Att.* Quid? ad cetera, quae scripsisti plura quam quisquam e nostris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? *M.* Subsiciva quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior,

ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum nu-
merum adcommodentur quae scribimus: historia vero
nec institui potest nisi praeparato otio nec exiguo tempore
absolvi; et ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus
sum, si traducor alio, neque tam facile interrupta contexo
quam absolvo instituta. *Att.* Legationem aliquam ni- 10
mirum ista oratio postulat aut eius modi quampiam ces-
sionem liberam atque otiosam. *M.* Ego vero aetatis
potius vacationi confidebam, cum praesertim non recu-
sarem quo minus more patrio sedens in solio consulenti-
bus responderem senectutisque non inertis grato atque
honesto fungerer munere. sic enim mihi liceret et isti
rei, quam desideras, et multis uberioribus atque maiori-
bus operae quantum vellem dare. *Att.* Atqui vereor ne 4 11
istam causam nemo noscat tibique semper dicendum sit,
et eo magis, quod te ipse mutasti et aliud dicendi insti-
tuisti genus, ut, quem ad modum Roscius, familiaris
tuus, in senectute numeros in cantu remiserat ipsasque
tardiores fecerat tibias, sic tu a contentionibus, quibus
summis uti solebas, cotidie relaxes aliquid ut iam oratio
tua non multum a philosophorum lenitate absit: quod
sustinere cum vel summa senectus posse videatur, nul-
lam tibi a causis vacationem video dari. *Q.* At me her- 12
cule ego arbitrabar posse id populo nostro probari, si te
ad ius respondendum dedisses: quam ob rem, cum pla-
cebit, experiundum tibi censeo. *M.* Si quidem, Quinte,
nullum esset in experiundo periculum: sed vereor ne,
dum minuere velim laborem, augeam atque ad illam
causarum operam, ad quam ego numquam nisi paratus
et meditatus accedo, adiungatur haec iuris interpretatio,
quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam
quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam
maiorem umquam causam sum ausus accedere. *Att.* 13
Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsicivis, ut ais,
temporibus et conscribis de iure civili subtilius quam
ceteri? nam a primo tempore aetatis iuri studere te me-
mini, cum ipse etiam ad Scaevolam ventitarem, neque
umquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut
ius civile contemneres. *M.* In longum sermonem me
vocas, Attice, quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos

agere mavolt, suscipiam et, quoniam vacui sumus, di-
cam. *Q.* Ego vero libenter audierim; quid enim agam
11 potius aut in quo melius hunc consumam diem? *M.*
Quin igitur ad illa spatia nostra sedisque pergimus? ubi,
cum satis erit ambulatum, requiescemus; nec profecto
nobis delectatio deerit aliud ex alio quaerentibus. *Att.*
Nos vero, et hac quidem [adire] si placet, per ripam et
umbram. sed iam ordire explicare, quaeso, de iure ci-
vili quid sentias. *M.* Egone? summos fuisse in civi-
tate nostra viros, qui id interpretari populo et responsi-
tare soliti sint, sed eos magna professos in parvis esse
versatos. quid enim est tantum quantum ius civitatis?
quid autem tam exiguum quam est munus hoc eorum,
qui consuluntur? [quamquam est populo necessarium.]
nec vero eos, qui ei muneri praefuerunt, universi iuris
fuisse expertis existimo, sed hoc civile quod vocant
eatenus exercuerunt, quoad populo † praestare volue-
runt; id autem ut cognitione tenue est, ita usu necessa-
rium. quam ob rem quo me vocas? aut quid hortaris?
ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum
iure? an ut stipulationum et iudiciorum formulas conpo-
nam? quae et conscripta a multis sunt diligenter et sunt
5 15 humiliora quam illa, quae a nobis exspectari puto. *Att.*
Atqui, si quaeris, ego quid exspectem, quoniam scri-
ptum est a te de optimo rei publicae statu, consequens
esse videtur ut scribas tu idem de legibus: sic enim fe-
cisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris,
quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. *M.* Visne
igitur, ut ille Crete cum Clinia et cum Lacedaemonio
Megillo aestivo, quem ad modum describit, die in cupres-
setis Gnosiorum et spatiis silvestribus, crebro insistens,
interdum adquiescens, de institutis rerum publicarum ac
de optimis legibus disputavit, sic nos inter has proceris-
simas populos in viridi opacaque ripa inambulantes, tum
autem residentes, quaeramus isdem de rebus aliquid
16 uberius quam forensis usus desiderat? *Att.* Ego vero
ista audire cupio. *M.* Quid ait Quintus? *Q.* Nulla de
re magis. *M.* Et recte quidem: nam sic habetote, nullo
in genere disputandi magis patefieri, quid sit homini na-
tura tributum, quantam vim rerum optimarum mens

humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos; his enim explicatis fons legum et iuris inveniri potest. *Att.* Non 17
ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a duodecim tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. *M.* Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quem ad modum caveamus in iure aut quid de quaque consultatione respondeamus. sit ista res magna, sicut est, quae quondam a multis claris viris, nunc ab uno summa auctoritate et scientia sustinetur, sed nobis ita conplectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris ac legum, ut hoc civile quod dicimus in parvum quendam et angustum locum concludatur: natura enim iuris explicanda nobis est eaque ab hominis repetenda natura, considerandae leges, quibus civitates regi debeant; tum haec tractanda quae conposita sunt et descripta iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae vocantur iura civilia. *Q.* Alte vero et, ut 6
18
oportet, a capite, frater, repetis quod quaerimus; et qui aliter ius civile tradunt, non tam iustitiae quam litigandi tradunt vias. *M.* Non ita est, Quinte, ac potius ignoratio iuris litigiosa est quam scientia. sed hoc posterius: nunc iuris principia videamus.

Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege, haud scio an recte, si modo, ut idem definiunt, lex est ratio summa, insita natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria: eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et perfecta, lex est. itaque arbitrantur 19
prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere; eamque rem illi Graeco putant nomine *a* suum cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendo: nam ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus, et proprium tamen utrumque legis est. quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque videri solet, a lege ducendum est iuris exordium; ea est enim naturae vis, ea mens ratioque prudens, ea iuris atque iniuriae regula. sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui

necesse erit et appellare eam legem, quae scripta sancit
quod volt aut iubendo *aut prohibendo*, ut volgus appel-
lat; constituendi vero iuris ab illa summa lege capiamus
exordium, quae saeclis omnibus ante nata est quam scri-
20 pta lex ulla aut quam omnino civitas constituta. *Q.*
Commodius vero et ad rationem instituti sermonis sa-
pientius. *M.* Visne ergo ipsius iuris ortum a fonte re-
petamus? quo invento non erit dubium quo sint haec
referenda, quae quaerimus. *Q.* Ego vero ita esse fa-
ciendum censeo. *Att.* Me quoque adscribi*to* fratris sen-
tentiae. *M.* Quoniam igitur eius rei publicae, quam
optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus
est nobis et servandus status omnesque leges adcommo-
dandae ad illud civitatis genus, serendi etiam mores,
nec scriptis omnia sancienda, repetam stirpem iuris a
natura, qua duce nobis omnis est disputatio explicanda.
Att. Rectissime, et quidem ista duce errari nullo pacto
potest.

7 *M.* Dasne igitur hoc nobis, Pomponi, — nam Quinti
21 novi sententiam — deorum inmortalium vi, [natura,] ra-
tione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud ver-
bum, quo planius significem quod volo, naturam omnem
regi? nam si hoc non probas, ab eo nobis causa or-
dienda est potissimum. *Att.* Do sane, si postulas; ete-
nim propter hunc concentum avium strepitumque flumi-
num non vereor condiscipulorum ne quis exaudiat. *M.*
Atqui cavendum est; solent enim, id quod virorum bo-
norum est, admodum irasci, nec vero ferent, si audierint
te primum caput viri optimi prodidisse, in quo scripsit
22 ‘nihil curare deum nec sui nec alieni.’ *Att.* Perge,
quaeso: nam id, quod tibi concessi, quorsus pertineat
exspecto. *M.* Non faciam longius; huc enim pertinet,
animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor,
plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem,
praeclara quadam condicione generatum esse a supremo
deo. solum est enim ex tot animantium generibus at-
que naturis particeps rationis et cogitationis, cum cetera
sint omnia expertia. quid est autem non dicam in ho-
mine, sed in omni caelo atque terra, ratione divinius?
quae cum adulevit atque perfecta est, nominatur rite sa-

pientia. est igitur, quoniam nihil est ratione melius 23
eaque *est* et in homine et in deo, prima homini cum deo
rationis societas; inter quos autem ratio, inter eosdem
etiam recta ratio communis est: quae cum sit lex, lege
quoque consociati homines cum dis putandi sumus. in-
ter quos porro est communio legis, inter eos communio
iuris est; quibus autem haec sunt [inter eos] communia,
ei civitatis eiusdem habendi sunt. si vero isdem im-
periis et potestatibus parent, multo iam magis; parent
autem huic caelesti discriptioni mentique divinae et
praepotenti deo, ut iam universus hic mundus una civi-
tas communis deorum atque hominum existimanda *sit*.
et quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur
idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur sta-
tus, id in rerum natura tanto est magnificentius tanto-
que praeclarius, ut homines deorum agnatione et gente
teneantur. nam cum de natura hominis quaeritur, dispu- 8 24
tari solet [nimirum ita sunt, ut disputantur], perpetuis
[cursibus] conversionibus caelestibus exstitisse quandam
maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in
terras atque satum divino auctum sit animorum munere,
cumque alia quibus cohaererent homines e mortali ge-
nere sumpserint, quae fragilia essent et caduca, animum
esse ingeneratum a deo. ex quo vere vel agnatio nobis
cum caelestibus vel genus vel stirps appellari potest.
itaque ex tot generibus nullum est animal praeter homi-
nem, quod habeat notitiam aliquam dei, ipsisque in ho-
minibus nulla gens est neque tam mansueta neque tam
fera, quae non, etiam si ignoret qualem habere deum
deceat, tamen habendum sciat. ex quo efficitur illud, 25
ut is agnoscat deum, qui, unde ortus sit, quasi recorde-
tur. iam vero virtus eadem in homine ac deo est neque
alio ullo in genere praeterea; est autem virtus nihil
aliud nisi perfecta et ad summum perducta natura: est
igitur homini cum deo similitudo. quod cum ita sit,
quae tandem esse potest propior certiorve cognatio? ita-
que ad hominum commoditates et usus tantam rerum
ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, do-
nata consulto nobis, non fortuito nata videantur, nec
solum ea, quae frugibus atque bacis terrae fetu profun-

duntur, sed etiam pecudes, quas perspicuum est partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad
26 vescendum procreatas. artes vero innumerabiles repertae sunt, docente natura, quam imitata ratio res ad vi-
9 tam necessarias sollerter consecuta est. ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed ei sensus tamquam satellites attribuit ac nuntios, et rerum plurimarum obscuras nec satis * * intellegentias inchoavit quasi fundamenta quaedam scientiae figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit: nam cum ceteras animantis abiecisset ad pastum, solum hominem erexit et ad caeli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit, tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos
27 mores effingeret. nam et oculi nimi arguti, quem ad modum animo adfecti simus, loquuntur, et is, qui appellatur voltus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores, cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis; neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis et hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit et ornavit deus, perspicuum sit illud, ne omnia disserantur, ipsam per se naturam longius progredi: quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum ex prima et inchoata intellegentia genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem et perficit.

10
28 *Att.* Di inmortales, quam tu longe iuris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae exspectabam a te de iure civili, sed facile patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere; sunt enim haec maiora, quae aliorum causa fortasse conplecteris, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur. *M.* Sunt haec quidem magna, quae nunc breviter attinguntur, sed omnium, quae in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto praestabilius quam plane intellegi nos ad iustitiam esse natos

neque opinione, sed natura constitutum esse ius. id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionemque perspexeris; nihil est enim unum uni tam si- 29
mile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non inbecillitatem animorum torqueret et flecteret, quocumque coepisset, sui nemo ipse tam similis esset quam omnes sunt omnium; itaque quaecumque est hominis definitio, una in omnis valet. quod argumenti satis est 30
nullam dissimilitudinem esse in genere: quae si esset, non una omnis definitio contineret; etenim ratio, qua una praestamus beluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, [concludimus,] certe est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. nam et sensibus eadem omnia conprehenduntur, et ea, quae movent sensus, itidem movent omnium, quaeque in animis inprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intellegentiae, similiter in omnibus inprimuntur, interpresque mentis oratio verbis discrepat, sententiis congruens; nec est quisquam gentis ullius, qui ducem *naturam* nactus ad virtutem pervenire non possit.

Nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus in- 11 31
signis est humani generis similitudo. nam et voluptate capiuntur omnes, quae etsi est inlecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturali bono, † levitatis enim et suavitatis * * * delectans; sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid adsciscitur, similique inscientia mors fugitur quasi dissolutio naturae, vita expetitur, quia nos in quo nati sumus continet, dolor in maximis malis ducitur, cum sua asperitate, tum quod naturae interitus videtur sequi; propterque honestatis et gloriae similitu- 32
dinem beati qui honorati sunt videntur, miseri autem qui sunt inglorii. molestiae, laetitiae, cupiditates, timores similiter omnium mentis pervagantur, nec, si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco qui canem et faelem ut deos colunt, non eadem superstitione qua ceterae gentes conflictantur. quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, [quae maleficos,] quae crudelis,

quae ingratos non aspernatur, non odit? quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum inter se esse intellegatur, illud extremum est, quod recte vivendi ratio *omnis* meliores efficit. quae si adprobatis, pergam ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus prius. *Att.* Nos vero nihil, ut pro utroque respondeam.

12 33 *M.* Sequitur igitur ad participandum alium alio communicandumque inter omnis ius nos natura esse factos. atque hoc in omni hac disputatione sic intellegi volo, *ius* quod dicam natura esse, tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati exorianturque et confirmentur vitia contraria. quod si, quo modo est natura, sic iudicio homines humani, ut ait poëta, nihil a se alienum putarent, coleretur ius aeque ab omnibus. quibus enim ratio natura data est, isdem etiam recta ratio data est, ergo etiam lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando; si lex, ius quoque. et omnibus ratio; ius igitur datum est omnibus. [recteque Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem naturae seiunxisset; id enim querebatur caput esse exitiorum omnium: unde
34 enim illa Pythagorea vox. de amicitia locus.] * * * ex quo perspicitur, cum hanc benevolentiam tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihilo sepse plus quam alterum diligat: quid enim est quod differat, cum sint cuncta paria? quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit in *amicitia,* amicitiae nomen iam occiderit, cuius est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid alter maluerit, nulla sit. quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostrae, quo facilius ius in natura esse positum intellegi possit; de quo cum perpauca dixero, tum ad ius civile veniam, ex quo haec omnis est nata oratio.

13 35 *Q.* Tu vero iam perpauca scilicet; ex his enim, quae dixisti, videtur mihi quidem certe ex natura ortum esse ius. *Att.* An mihi aliter videri possit, cum haec iam perfecta sint, primum quasi muneribus deorum nos esse instructos et ornatos, secundo autem loco unam esse

hominum inter ipsos vivendi parem *et* communem rationem, deinde omnis inter se naturali quadam indulgentia et benevolentia, tum etiam societate iuris contineri? quae cum vera esse recte, ut arbitror, concesserimus, qui iam licet nobis a natura leges et iura seiungere? *M.* 36
Recte dicis, et res se sic habet. verum philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim dissecta dicuntur; nec enim satis fieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, natura esse ius, disputarint. *Att.* Aut scilicet tua libertas disserendi amissa est, aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas. *M.* Non semper, 37
Tite, sed iter huius sermonis quod sit vides: ad res publicas firmandas et ad stabiliendos iure et sanandos populos omnis nostra pergit oratio. quocirca vereor committere, ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur, nec tamen ut omnibus probentur — nam id fieri non potest —, sed ut eis, qui omnia recta atque honesta per se expetenda duxerunt et aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per se ipsum laudabile esset, aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi quod vere laudari sua sponte posset: — iis 38
omnibus, sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt, sive Aristotelem et Theophrastum, cum illis congruentis re, genere docendi paulum differentis, secuti sunt, sive, ut Zenoni visum est, rebus non commutatis inmutaverunt vocabula, sive etiam Aristonis difficilem atque arduam, sed iam tamen fractam et convictam sectam secuti sunt, ut virtutibus exceptis atque vitiis cetera in summa aequalitate ponerent, iis omnibus haec, quae dixi, probentur. sibi autem in- 39
dulgentis et corpori deservientis atque omnia, quae sequantur in vita quaeque fugiant, voluptatibus et doloribus ponderantis, etiam si vera dicunt — nihil enim opus est hoc loco litibus —, in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate rei publicae, cuius partem nec norunt ullam neque umquam nosse voluerunt, paulisper facessant rogemus. perturbatricem autem harum

omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus ut sileat; nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et conposita videntur, miseras edet ruinas: quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo.

14 40 * * * nam et in iis sine ullis suffimentis expiati sumus: at vero scelerum in homines atque in d*eos inp*ietatum nulla expiatio est; itaque poenas luunt non tam iudiciis — quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, ubi sunt autem, persaepe falsa sunt —, sed eos agitant insectanturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu. quod si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet, quaenam sollicitudo vexaret inpios sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret defensionemque facinoris a naturae iure aliquo quaereret: quae si appellare audent inpii, quo tandem studio colentur a bonis? quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab iniuriosa facinerosaque vita, nemo est iniustus atque incauti potius
41 habendi sunt inprobi. tum autem qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni: nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem et iudicem? quid in deserto quo loco nactus, quem multo auro spoliare possit, inbecillum atque solum? noster quidem hic natura iustus vir ac bonus etiam conloquetur, iuvabit, in viam deducet; is vero, qui nihil alterius causa faciet et metietur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus: quod si negabit se illi vitam erepturum et aurum ablaturum, numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. o rem dignam, in qua non modo docti, *sed* etiam agrestes erubescant!

15 42 Iam vero illud stultissimum, existimare omnia iusta esse, quae sancita sint in populorum institutis aut legibus. etiamne, si quae leges sunt tyrannorum? si triginta illi Athenis leges inponere voluissent aut si omnes

Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco
eae leges iustae haberentur? nihilo, credo, magis illa,
quam interrex noster tulit, ut dictator quem vellet ci-
vium [aut indicta causa] inpune posset occidere: est
enim unum ius, quo devincta est hominum societas et
quod lex constituit una; quae lex est recta ratio impe-
randi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est in-
iustus, sive est illa scripta uspiam sive nusquam. quod
si iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque
populorum et si, ut eidem dicunt, utilitate omnia me-
tienda sunt, negleget leges easque perrumpet, si poterit,
is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore; ita fit ut
nulla sit omnino iustitia, si neque natura est, ea*que,* quae
propter utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur.
atque, si natura confirmatura ius non erit, *virtutes omnes* 43
tollentur: ubi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi
pietas, ubi aut bene merendi de altero aut referendae
gratiae voluntas poterit exsistere? nam haec nascuntur
ex eo, quia natura propensi sumus ad diligendos homi-
nes, quod fundamentum iuris est. neque solum in ho-
mines obsequia, sed etiam in deos caerimoniae religio-
nesque tollentur, quas non metu, sed ea coniunctione,
quae est homini cum deo, conservandas puto. quod si 16
populorum iussis, si principum decretis, si sententiis
iudicum iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius
adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suf-
fragiis aut scitis multitudinis probarentur. quod si tanta 44
potestas est stultorum sententiis atque iussis, ut eorum
suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ut,
quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis et
salutaribus? aut cur ius ex iniuria lex facere possit,
bonum eadem facere non possit ex malo? atqui nos
legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma divi-
dere possumus; nec solum ius et iniuria natura diiudi-
catur, sed omnino omnia honesta et turpia. nam † et
communis intellegentia nobis notas res efficit, easque in
animis nostris inchoavit, *ut* honesta in virtute ponantur,
in vitiis turpia. ea autem in opinione existimare, non 45
in natura posita dementis est; nam nec arboris nec equi
virtus quae dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione

sita est, sed in natura: quod si ita est, honesta quoque
et turpia natura diiudicanda sunt. nam si opinione uni-
versa virtus, eadem eius etiam partes probarentur: quis
igitur prudentem et, ut ita dicam, catum non ex ipsius
habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? est enim vir-
tus perfecta ratio, quod certe in natura est: igitur omnis
17 honestas eodem modo. nam ut vera et falsa, ut conse-
quentia et contraria sua sponte, non aliena iudicantur,
sic constans et perpetua ratio vitae, quae virtus est,
itemque inconstantia, quod est vitium, sua natura *iudi-
cabitur. an arboris aut equi ingenium natura* probabi-
46 mus, ingenia iuvenum non item? an ingenia natura,
virtutes et vitia, quae exsistunt ab ingeniis, aliter iudi-
cabuntur? an ea non aliter, honesta et turpia non ad
naturam referri necesse erit? quod laudabile est, bonum
in se habeat quod laudetur necesse est; ipsum enim bo-
num non est opinionibus, sed natura. nam, ni ita esset,
beati quoque opinione essent, quo quid dici potest stul-
tius? qua re cum et bonum et malum natura iudicetur
et ea sint principia naturae, certe honesta quoque et
turpia simili ratione diiudicanda et ad naturam referenda
47 sunt. sed perturbat nos opinionum varietas hominum-
que dissensio, et quia non idem contingit in sensibus,
hos natura certos putamus, illa, quae aliis sic, aliis secus
nec isdem semper uno modo videntur, ficta esse dici-
mus: quod est longe aliter. nam sensus nostros non
parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scaena
depravat, non multitudinis consensus abducit a vero:
animis omnes tenduntur insidiae vel ab iis, quos modo
enumeravi, qui teneros et rudis cum acceperunt, infi-
ciunt et flectunt, ut volunt, vel ab ea, quae penitus in
omni sensu inplicata insidet, imitatrix boni, voluptas,
malorum autem mater omnium; cuius blanditiis corrupti,
quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie
carent, non cernunt satis.

18 48 Sequitur, ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio,
id quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt, et ius et
omne honestum sua sponte esse expetendum; etenim
omnes viri boni ipsam aequitatem et ius ipsum amant,
nec est viri boni errare et diligere quod per se non sit

diligendum: per se igitur ius est expetendum et colen-
dum. quod si ius, etiam iustitia; si iustitia, reliquae
quoque virtutes per se colendae sunt. quid? liberalitas
gratuitane est an mercennaria? si sine praemio benignus
est, gratuita; si cum mercede, conducta. nec est dubium
quin is, qui liberalis benignusve dicitur, officium, non
fructum sequatur; ergo item iustitia nihil expetit prae-
mii, nihil pretii: per se igitur expetitur. eademque om-
nium virtutum causa atque sententia est. atque etiam 49
si emolumentis, non sua sponte virtus expetitur, una erit
virtus, quae malitia rectissime dicetur; ut enim quisque
maxume ad suum commodum refert quaecumque agit,
ita minime est vir bonus, ut qui virtutem praemio me-
tiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent: ubi enim
beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi
gratus, si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gra-
tiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se
amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus et
abiciendus est desperatis emolumentis et fructibus: quo
quid potest dici inmanius? quod si amicitia per se co-
lenda est, societas quoque hominum et aequalitas et
iustitia per se *est* expetenda: quod ni ita est, omnino
iustitia nulla est; id enim iniustissimum ipsum est, iusti-
tiae mercedem quaerere.

Quid vero de modestia, quid de temperantia, quid 19 50
de continentia, quid de verecundia, pudore pudicitiaque
dicemus? infamiaene metu non esse petulantis an legum
et iudiciorum? innocentes ergo et verecundi sunt, ut
bene audiant, et ut rumorem bonum colligant, erube-
scunt; pudet etiam loqui de pudicitia: at me istorum
philosophorum pudet, qui ullum vitium vitari nisi vitio
ipso mutato putant. quid enim? possumus eos, qui a 51
stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, cum ipsa
infamia propter rei turpitudinem consequatur? nam quid
aut laudari rite aut vituperari potest, si ab eo recesseris,
quod aut laudandum aut vituperandum putes? an cor-
poris pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid
offensionis, animi deformitas non habebit? cuius turpi-
tudo ex ipsis vitiis facillime perspici potest; quid enim
foedius avaritia, quid inmanius libidine, quid contemptius

timiditate, quid abiectius tarditate et stultitia dici potest?
quid ergo? eos, qui singulis vitiis excellunt aut etiam
pluribus, propter damna aut detrimenta aut cruciatus
aliquos miseros esse dicimus an propter vim turpitudi-
nemque vitiorum? quod item ad contrariam laudem in
52 virtutem dici potest. postremo, si propter alias res vir-
tus expetitur, melius esse aliquid quam virtutem necesse
est: pecuniamne igitur an honores an formam an valetu-
dinem? quae et, cum adsunt, perparva sunt, et, quam
diu adfutura sint, certum sciri nullo modo potest; an,
id quod turpissimum dictu est, voluptatem? at in ea
quidem spernenda et repudianda virtus vel maxime cer-
nitur.

Sed videtisne quanta series rerum sententiarumque
sit atque ut ex alio alia nectantur? quin labebar longius,
nisi me retinuissem. *Q.* Quo tandem? libenter enim,
frater, † quod istam orationem tecum prolaberer. *M.*
Ad finem bonorum, quo referuntur et cuius apiscendi
causa sunt facienda omnia, controversam rem et plenam
dissensionis inter doctissimos, sed aliquando iam iudi-
53 candam. *Att.* Qui istuc fieri potest L. Gellio mortuo?
M. Quid tandem id ad rem? *Att.* Quoniam Athenis
audire ex Phaedro meo memini Gellium, familiarem
tuum, cum pro consule ex praetura in Graeciam venis-
set, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum
convocasse ipsisque magno opere auctorem fuisse, ut
aliquando controversiarum aliquem facerent modum:
quod si essent eo animo, ut nollent aetatem in litibus
conterere, posse rem convenire, et simul operam suam
illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid convenire.
M. Ioculare istuc quidem, Pomponi, et a multis saepe
derisum: sed ego plane vellem me arbitrum inter anti-
quam Academiam et Zenonem datum. *Att.* Quo tan-
dem istuc modo? *M.* Quia de re una solum dissident,
de ceteris mirifice congruunt. *Att.* Ain tandem? unane
54 est solum dissensio? *M.* Quae quidem ad rem perti-
neat, una: quippe cum antiqui omne, quod secundum
naturam esset *et* quo iuvaremur in vita, bonum esse
decreverint, hic *nihil* nisi quod honestum esset putarit
bonum. *Att.* Parvam vero controversiam dicis, at non

eam, quae dirimat omnia. *M.* Probe quidem sentires, si re ac non verbis dissiderent.

Att. Ergo adsentiris Antiocho familiari meo — ma- 21
gistro enim non audeo dicere —, quocum vixi et qui me ex nostris paene convellit hortulis deduxitque in Academiam perpauculis passibus. *M.* Vir iste fuit ille *quidem* prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris, cui tamen ego adsentiar in omnibus necne mox videro: hoc dico, controversiam totam istam posse sedari. *Att.* Qui istuc tandem vides? *M.* Quia, 55
si, ut Chius Aristo dixit solum bonum esse quod honestum esset, malumque quod turpe, ceteras res omnis plane paris ac ne minimum quidem utrum adessent an abessent interesse, valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet *et* esset inter eos de re maxima et de omni vivendi ratione dissensio: nunc vero, cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum bonum dicat, itemque dedecus illi summum malum, hic solum, divitias, valetudinem, pulchritudinem commodas res appellet, non bonas, paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas, sentit idem quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. ex hac autem non rerum, sed verborum discordia controversia est nata de finibus; in qua, quoniam usus capionem duodecim tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus, nec Mamilia lege singuli, sed e xii tres arbitri finis regemus. *Q.* Quamnam 56
igitur sententiam dicimus? *M.* Requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, iisque parere. *Q.* Praeclare, frater, iam nunc a te verba usurpantur civilis iuris et legum, quo de genere exspecto disputationem tuam; nam ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognovi. [sed certe ita res se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta *e* virtute perfrui, aut naturam sequi et eius quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere.] quapropter hoc diiudicari nescio an numquam, sed hoc ser-

mone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus,
22 57 perfecturi sumus. *Att.* At ego huc declinabam nec in-
invitus. *Q.* Licebit alias: nunc id agamus, quod coepi-
mus, cum praesertim ad id nihil pertineat haec de
summo malo bonoque dissensio. *M.* Prudentissime,
Quinte, dicis; nam quae a me adhuc dicta sunt * * * *.
Q. Nec Lycurgi leges neque Solonis neque Charondae
neque Zaleuci nec nostras duodecim tabulas nec ple-
biscita desidero, sed te existimo cum populis tum etiam
singulis hodierno sermone leges vivendi et disciplinam
58 daturum. *M.* Est huius vero disputationis, Quinte, pro-
prium id, quod exspectas, atque utinam esset etiam fa-
cultatis meae! sed profecto ita se res habet, ut, quoniam
vitiorum emendatricem legem esse oportet commenda-
tricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. ita
fit ut mater omnium bonarum rerum sapientia *sit,* a
cuius amore Graeco verbo philosophia nomen invenit,
qua nihil a dis inmortalibus uberius, nihil florentius,
nihil praestabilius hominum vitae datum est. haec enim
una nos cum ceteras res omnis, tum, quod est difficilli-
mum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cuius prae-
cepti tanta vis et tanta sententia est, ut ea non homini
59 cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. nam qui se ipse
norit, primum aliquid se habere sentiet divinum in-
geniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dicatum
putabit, tantoque munere deorum semper dignum ali-
quid et faciet et sentiet, et, cum se ipse temptarit to-
tumque perspexerit, intelleget, quem ad modum a natura
subornatus in vitam venerit quantaque instrumenta ha-
beat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, quo-
niam principio rerum omnium quasi adumbratas intelle-
gentias animo ac mente conceperit, quibus inlustratis
sapientia duce bonum virum et ob eam ipsam causam
23 60 cernat se beatum fore. nam cum animus cognitis per-
ceptisque virtutibus a corporis obsequio indulgentiaque
discesserit voluptatemque sicut labem aliquam dedeco-
ris oppresserit omnemque mortis dolorisque timorem
effugerit societatemque caritatis coierit cum suis omnis-
que natura coniunctos suos duxerit cultumque deorum
et puram religionem susceperit et exacuerit illam, ut

oculorum, sic ingenii aciem ad bona eligenda et rei-
cienda contraria, quae virtus ex providendo est appel-
lata prudentia, quid eo dici aut cogitari poterit beatius?
idemque cum caelum, terras, maria rerumque omnium 61
naturam perspexerit, eaque unde generata quo recur-
rant, quando, quo modo obitura, quid in his mortale
et caducum, quid divinum aeternumque sit, viderit
ipsumque ea moderantem et regentem paene prende-
rit seseque non unius circumdati moenibus loci, sed
civem totius mundi quasi unius urbis agnoverit, in hac
ille magnificentia rerum atque in hoc conspectu et
cognitione naturae, di inmortales, quam se ipse noscet,
[quod Apollo praecepit Pythius,] quam contemnet, quam
despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae volgo dicun- 21 62
tur amplissima! atque haec omnia quasi saepimento
aliquo vallabit disserendi ratione, veri et falsi iudicandi
scientia et arte quadam intellegendi, quid quamque rem
sequatur et quid sit cuique contrarium. cumque se ad
civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili
disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius
perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges,
qua castiget inprobos, qua tueatur bonos, qua laudet
claros viros, qua praecepta salutis et laudis apte ad per-
suadendum edat suis civibus, qua hortari ad decus, re-
vocare a flagitio, consolari possit adflictos factaque et
consulta fortium et sapientium cum inproborum ignomi-
nia sempiternis monumentis prodere. quae cum tot res
tantaeque sint, quae inesse in homine perspiciantur ab
iis, qui se ipsi velint nosse, earum parens est educatrix-
que sapientia. *Att.* Laudata quidem a te graviter et 63
vere: sed quorsus hoc pertinet? *M.* Primum ad ea,
Pomponi, de quibus acturi iam sumus, quae tanta esse
volumus; non enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa ma-
nant, amplissima; deinde facio et lubenter et, ut spero,
recte, quod eam, cuius studio teneor quaeque me eum,
quicumque sum, effecit, non possum silentio praeterire.
Att. *Tu* vero facis *recte* et merito et ipse, fuitque id, ut
dicis, in hoc sermone faciundum.

M. TULLII CICERONIS
DE LEGIBUS
LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Cum ius omne vel divinum sit vel humanum, divini autem prima necessario debeat esse cura, ab hoc merito initium fecit Cicero totamque religionem hoc libro constituit. Repetit autem disputationem ab aeterna illa et summa lege, quae est ratio divina et humana, apta ad vetandum et iubendum (cap. 4). Deinde ipsam proponit legem, e legibus Numae et moribus Romanis ductam (cap. 8. 9), praemisso prooemio de legis laudibus iisque propriis generis sui (cap. 7). Reliqua autem pars libri versatur in ista lege explicanda et quasi suadenda, ut quibus de causis quaeque legis pars probetur intellegatur. In quo non solum Platonem aliosque Graecos philosophos imitatur, qui de legibus scripserunt (v. lib. III. cap. 5. 6), sed etiam consuetudinem magistratuum Romanorum, qui in legibus ferendis rogandisque primum de universa legum laude et necessitate dicere, deinde a praecone scriba subiciente recitari legem, tum ubi docendo, explicando rationibusque adferendis eam suaserunt, populum discedere et datis tabellis in sua quemque tribu suffragium ferre iubere consueverunt (lib. III. cap. 4 extr.).

---

1 I *Atticus.* Sed visne, quoniam et satis iam ambulatum est et tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus et in insula, quae est in Fibreno — nam *hoc,* opinor, illi alteri flumini nomen est —, sermoni reliquo demus operam sedentes? *M.* Sane quidem; nam illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse
2 cogito sive quid scribo aut lego. *Att.* Equidem, qui nunc potissimum huc venerim, satiari non queo, magnificasque villas et pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno; ductus vero aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant, quis non, cum haec videat, inriserit? itaque, ut tu paulo ante de lege et de iure disserens ad naturam referebas omnia, sic in his ipsis rebus, quae ad requietem animi delectationemque quaeruntur, natura

dominatur. qua re antea mirabar — nihil enim his in
locis nisi saxa et montis cogitabam, itaque ut facerem et
orationibus inducebar tuis et versibus —, sed mirabar,
ut dixi, te tam valde hoc loco delectari: nunc contra
miror te, cum Roma absis, usquam potius esse. *M.* Ego 3
vero, cum licet pluris dies abesse, praesertim hoc tem-
pore anni, et amoenitatem hanc et salubritatem sequor,
raro autem licet. sed nimirum me alia quoque causa
delectat, quae te non attingit. *Att.* Quae tandem ista
causa est? *M.* Quia, si verum dicimus, haec est mea et
huius fratris mei germana patria: hic enim orti stirpe
antiquissima sumus; hic sacra, hic genus, hic maiorum
multa vestigia. quid plura? hanc vides villam, ut nunc
quidem est, lautius aedificatam patris nostri studio, qui
cum esset infirma valetudine, hic fere aetatem egit in
litteris: sed hoc ipso in loco, cum avus viveret et anti-
quo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis,
me scito esse natum; qua re inest nescio quid et latet in
animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse de-
lectet, si quidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam
ut videret, inmortalitatem scribitur repudiasse. *Att.* Ego 2 4
vero tibi istam iustam causam puto, cur huc libentius
venias atque hunc locum diligas: quin ipse, vere dicam,
sum illi villae amicior modo factus atque huic omni solo,
in quo tu ortus et procreatus es; movemur enim nescio
quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus
aut admiramur, adsunt vestigia. me quidem ipsae illae
nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitis-
que antiquorum artibus delectant quam recordatione
summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere,
ubi disputare sit solitus, studioseque eorum etiam se-
pulcra contemplor: qua re istum, ubi tu es natus, plus
amabo posthac locum. *M.* Gaudeo igitur me incunabula
paene mea tibi ostendisse. *Att.* Equidem me cognosse 5
admodum gaudeo. sed illud tamen quale est, quod
paulo ante dixisti, hunc locum — id enim ego te accipio
dicere Arpinum — germanam patriam esse vestram?
quid? vos duas habetis patrias, an est una illa patria
communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non
Roma, sed Tusculum. *M.* Ego me hercule et illi et

omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam *naturae, alteram* civitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est, ita, cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris; ut vestri Attici, prius quam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnis se conferre iussit, et sui erant idem et Attici, sic nos et eam patriam ducimus, ubi nati, *et illam, a qua excepti* sumus. sed necesse est caritate eam praestare, qua rei publicae nomen universae civitatis est, pro qua mori et cui nos totos dedere et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus. dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo, dum sit illa maior, haec in ea
3 6 contineatur. *Att.* Recte igitur Magnus ille noster me audiente posuit in iudicio, cum pro Ampio tecum simul diceret, rem publicam nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conservatores exstitissent, ut iam videar adduci hanc quoque, quae te procrearit, esse patriam tuam. sed ventum in insulam est; hac vero nihil est amoenius: etenim hoc quasi rostro finditur Fibrenus et divisus aequaliter in duas partis latera haec adluit rapideque dilapsus cito in unum confluit et tantum conplectitur quod satis sit modicae palaestrae loci. quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim praecipitat in Lirem et, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius Liremque multo gelidiorem facit; nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut vix pede temptare id possim, quod in Phaedro Platonis facit
7 Socrates. *M.* Est vero ita, sed tamen huic amoenitati, quem ex Quinto saepe audio, Thyamis Epirotes tuus ille nihil, opinor, concesserit. *Q.* Est ita, ut dicis; cave enim putes Attici nostri Amalthio platanisque illis quicquam esse praeclarius. sed, si videtur, considamus hic in umbra atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur. *M.* Praeclare exigis, Quinte, — at ego effugisse arbitrabar — et tibi horum

nihil deberi potest. *Q.* Ordire igitur; nam hunc tibi
totum dicamus diem.
M. 'A Iove Musarum primordia,' sicut in Aratio
carmine orsi sumus. *Q.* Quorsum istuc? *M.* Quia nunc
item ab eodem et a ceteris dis immortalibus sunt no-
bis agendi capienda primordia. *Q.* Optime vero, fra- 8
ter, et fieri sic decet. *M.* Videamus igitur rursus, prius 4
quam adgrediamur ad leges singulas, vim naturamque
legis, ne, cum referenda sint ad eam nobis omnia, laba-
mur interdum errore sermonis ignoremusque vim eius,
quo iura nobis definienda sint. *Q.* Sane quidem hercule,
et est ista recta docendi via. *M.* Hanc igitur video sa-
pientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum
ingeniis excogitatam nec scitum aliquod esse populorum,
sed aeternum quiddam, quod universum mundum re-
geret imperandi prohibendique sapientia. ita principem
legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia
ratione aut cogentis aut vetantis dei: ex quo illa lex,
quam di humano generi dederunt, recte est laudata; est
enim ratio mensque sapientis ad iubendum et ad deter-
rendum idonea. *Q.* Aliquotiens iam iste locus a te 9
tactus est; sed ante quam ad popularis leges venias,
vim istius caelestis legis explana, si placet, ne aestus nos
consuetudinis absorbeat et ad sermonis morem usitati
trahat. *M.* A parvis enim, Quinte, didicimus 'si in ius
vocat' atque alia eius modi leges nominare; sed vero
intellegi sic oportet, et hoc et alia iussa ac vetita popu-
lorum vim habere ad recte facta vocandi et a peccatis
avocandi, quae vis non modo senior est quam aetas po-
pulorum et civitatum, sed aequalis illius caelum atque
terras tuentis et regentis dei. neque enim esse mens 10
divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim
in rectis pravisque sanciendis habet, nec, quia nusquam
erat scriptum, ut contra omnis hostium copias in ponte
unus adsisteret a tergoque pontem interscindi iuberet,
idcirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam forti-
tudinis lege atque imperio putabimus, nec, si regnante
L. Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, id-
circo non contra illam legem sempiternam Sex. Tarqui-
nius vim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit. erat enim

ratio, profecta a rerum natura, et ad recte faciendum inpellens et a delicto avocans, quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est; orta autem est simul cum mente divina. quam ob rem lex vera atque princeps apta ad iubendum et ad vetandum ratio est recta summi Iovis.

5 11 *Q.* Adsentior, frater, ut, quod est rectum, verum *quo*que sit neque cum litteris, quibus scita scribuntur, aut oriatur aut occidat. *M.* Ergo ut illa divina mens summa lex est, item, cum in homine est perfecta, in mente *est* sapientis; quae sunt autem varie et ad tempus descriptae populis, favore magis quam re legum nomen tenent. omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem quibusdam talibus argumentis docent. constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem vitamque hominum quietam et beatam inventas esse leges, eosque, qui primum eius modi scita sanxerint, populis ostendisse ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscitis susceptisque honeste beateque viverent, quaeque ita conposita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarunt: ex quo intellegi par est eos, qui perniciosa et iniusta populis iussa descripserint, cum contra fecerint quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse quam leges, ut perspicuum esse possit in ipso nomine legis interpretando inesse vim et
12 sententiam iusti et veri legendi. quaero igitur a te, Quinte, sicut illi solent: quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? *Q.* Ac maxumis quidem. *M.* Lege autem carens civitas estne ob *id* ipsum habenda nullo loco? *Q.* Dici aliter non potest. *M.* Necesse est igitur legem ha-
13 beri in rebus optimis. *Q.* Prorsus adsentior. *M.* Quid? quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliquas consessu suo sanxerint. nam neque medicorum praecepta dici vere possunt, si quae inscii inperitique pro salutaribus mortifera conscripserunt, neque in populo lex, † cuicuimodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. ergo est lex iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et

rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio inprobos adfi-
ciunt, defendunt ac tuentur bonos. *Q.* Praeclare intel- 6
lego, nec vero iam aliam esse ullam legem puto non
modo habendam, sed ne appellandam quidem. *M.* Igi- 11
tur tu Titias et Apuleias leges nullas putas? *Q.* Ego vero ne Livias quidem. *M.* Et recte, quae praesertim uno versiculo senatus puncto temporis sublatae sint: lex autem illa, cuius vim explicavi, neque tolli neque abrogari potest. *Q.* Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quae numquam abrogentur. *M.* Certe, si modo acceptae a duobus vobis erunt. sed, ut vir doctissimus fecit Plato atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de re publica conscripsit idemque separatim de legibus eius, idem mihi credo esse faciundum, ut, prius quam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam; quod idem etiam Zaleucum et Charondam fecisse video, cum quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatibus suis scripserunt: quos imitatus Plato videlicet hoc quoque legis putavit esse, per-
suadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. *Q.* Quid? 15
quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timaeus? *M.* At Theophrastus, auctor haud deterior mea quidem sententia — meliorem multi nominant — *commemorat*; commemorant vero ipsius cives, nostri clientes, Locri. sed sive fuit sive non fuit, nihil ad rem: loquimur quod traditum est.

Sit igitur hoc iam a principio persuasum civibus, 7
dominos esse omnium rerum ac moderatores deos eaque, quae gerantur, eorum geri dicione ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri piorumque et inpiorum ha-
bere rationem. his enim rebus inbutae mentes haud 16
sane abhorrebunt ab utili aut a vera sententia: quid est enim verius quam neminem esse oportere tam stulte adrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in caelo mundoque non putet? aut ut ea, quae vix summa ingenii *ratione conprehendat, nulla* ratione moveri putet? quem vero astrorum ordines, quem dierum nocti-

umque vicissitudines, quem mensum temperatio quem-
que ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum
esse cogunt, hunc hominem omnino numerari qui decet?
cumque omnia, quae rationem habent, praestent iis,
quae sunt rationis expertia, nefasque sit dicere ullam
rem praestare naturae omnium rerum, rationem inesse
in ea confitendum est. utilis esse autem has opiniones
quis neget, cum intellegat quam multa firmentur iure
iurando, quantae saluti sint foederum religiones, quam
multos divini supplicii metus a scelere revocarit quam-
que sancta sit societas civium inter ipsos, dis inmortali-
bus interpositis tum iudicibus, *tum* testibus? habes legis
17 prooemium; sic enim appellat Plato. *Q.* Habeo vero,
frater, et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus
aliisque sententiis versaris atque ille; nihil enim tam
dissimile quam vel ea, quae ante dixisti, vel hoc ipsum
de deis exordium: unum illud mihi videris imitari, ora-
tionis genus. *M.* Velle fortasse; quis enim id potest
aut umquam poterit imitari? nam sententias interpre-
tari perfacile est; quod quidem ego facerem, nisi plane
esse vellem meus. quid enim negotii est eadem prope
verbis isdem conversa dicere? *Q.* Prorsus adsentior;
verum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. sed
18 iam exprome, si placet, istas leges de religione. *M.* Ex-
promam equidem, ut potero, et quoniam et locus et
sermo familiaris est, legum [leges] voce proponam. *Q.*
Quidnam id est? *M.* Sunt certa legum verba, Quinte,
neque ita prisca, ut in veteribus XII sacratisque legibus,
et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora
quam hic sermo est: eum morem igitur cum brevitate,
si potuero, consequar. leges autem a me edentur non
perfectae — nam esset infinitum —, sed ipsae summae
rerum atque sententiae. *Q.* Ita vero necesse est; qua
re audiamus.

8 19 *M.* Ad divos adeunto caste, pietatem adhi-
bento, opes amovento. qui secus faxit, deus
ipse vindex erit.

Separatim nemo habessit deos neve novos
neve advenas nisi publice adscitos: privatim co-
lunto quos rite a patribus *adscitos acceperint.*

In urbibus delubra habento: lucos in agris habento et Larum sedes.

Ritus familiae patrumque servanto.

Divos et eos, qui caelestes semper habiti, colunto et ollos quos endo caelo merita locaverint, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, ast olla, propter quae datur homini adscensus in caelum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra sunto neve ulla vitiorum.

Sacra sollemnia obeunto.

Feriis iurgia *ne* movento easque in famulis
operibus patratis habento; idque ut ita cadat in
annuis anfractibus descriptum esto. certasque
fruges certasque bacas [sacerdotes publice]
libanto certis sacrificiis ac diebus. itemque 20
alios ad dies ubertatem lactis feturaeque ser-
vanto, idque ne omitti possit, ad eam rem ra-
tione cursus annuos sacerdotes finiunto. quae-
que quoique divo decorae grataeque sint hostiae
providento.

Divisque † aliis sacerdotes omnibus pontifices singulis flamines sunto. virginesque Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.

Quoque haec privatim [et publice] modo ri-
tuque fiant discunto ignari a publicis sacerdoti-
bus. eorum autem genera sunto tria: unum,
quod praesit caerimoniis et sacris, alterum,
quod interpretetur fatidicorum et vatium ecfata
incognita, quae eorum senatus populusque ad-
sciverit. interpretes autem Iovis optumi ma-
xumi, publici augures, signis et auspiciis ostenta
vidento, disciplinam tenento, sacerdotesque *et* 21
vineta virgetaque et salutem populi auguranto,
quique agent rem duelli quique pro populo rem,
auspicium praemonento ollique obtemperanto.
divorumque iras providento sisque adparento,
caelique fulgura regionibus ratis temperanto,
urbemque et agros templa liberata et ecfata ha-

bento. quaeque augur iniusta nefasta vitiosa dira deixerit, inrita infectaque sunto, quique non paruerit, capital esto.

9 Foederum, pacis [belli], indutiarum † oratorum fetiales iudices non sunto: bella disceptanto.

Prodigia, portenta ad Etruscos haruspices, si senatus iussit, deferunto, Etruriaque principes disciplinam doceto. quibus divis creverint, procuranto idemque fulgura atque obstita pianto.

Nocturna mulierum sacrificia ne sunto praeter olla, quae pro populo rite fient: neve quem initianto nisi, ut adsolet, Cereri Graeco sacro.

22 Sacrum commissum, quod nec expiari poterit, inpie commissum esto: quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.

Loedis publicis, † quod sine curriculo et sine certatione corporum fiat, popularem laetitiam [in] cantu et fidibus et tibiis moderanto eamque cum divum honore iungunto.

Ex patriis ritibus optuma colunto.

Praeter Idaeae matris famulos eosque iustis diebus ne quis stipem cogito.

Sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitve parricida esto.

Periurii poena divina exitium, humana dedecus.

Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto.

Inpius ne audeto placare donis iram deorum.

Caute vota reddunto: poena violati iuris esto.

Ne quis agrum consecrato. auri, argenti, eboris sacrandi modus esto.

Sacra privata perpetua manento.

Deorum Manium iura sancta sunto. sos leto datos divos habento; sumptum in ollos luctumque minuunto.

10
23 *Att.* Conclusa quidem est a te *tam* magna lex sane quam brevi, sed, ut mihi quidem videtur, non multum

discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus. *M.* An censes, cum in illis de re publica libris persuadere videatur Africanus, omnium rerum publicarum nostram veterem illam fuisse optumam, non necesse esse optumae rei publicae leges dare consentaneas? *Att.* Immo prorsus ita censeo. *M.* Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optumum rei publicae contineant, et, si quae forte a me hodie rogabuntur, quae non sint in nostra re publica nec fuerint, tamen erunt fere in more maiorum, qui tum ut lex valebat. *Att.* Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, ut 24
ego 'utei tu rogas' possim dicere. *M.* Ain tandem, Attice, non es dicturus aliter? *Att.* Prorsus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter, in minoribus, si voles, remittam hoc tibi. *Q.* Atque mea quidem *eadem* sententia est. *M.* At, ne longum fiat, videte. *Att.* Utinam quidem! quid enim agere malumus?

M. Caste iubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia; nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intellegi, cum multum animus corpori praestet observeturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis: nam illud vel aspersione aquae vel dierum numero tollitur; animi labes nec diuturnitate evanescere nec amnibus ullis elui potest. quod 25
autem pietatem adhiberi, opes amoveri iubet, significat probitatem gratam esse deo, sumptum esse removendum: qui enim paupertatem cum divitiis etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam sumptu ad sacra addito deorum aditu arceamus? praesertim cum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. quod autem non iudex, sed deus ipse vindex constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari videtur. suosque deos aut novos aut alienigenas coli confusionem habet religionum et ignotas caerimonias nos*tris* sacerdotibus. iam *a* patribus 26
acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi [patres].

Delubra esse in urbibus censeo, nec sequor Magos Persarum, quibus auctoribus Xerses inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, qui-

bus omnia deberent esse patentia ac libera quorumque
11 hic mundus omnis templum esset et domus. melius
Graeci atque nostri, qui ut augerent pietatem in deos,
easdem illos urbis quas nos incolere voluerunt; adfert
enim haec opinio religionem utilem civitatibus: si qui-
dem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo
viro, tum maxume et pietatem et religionem versari in
animis, cum rebus divinis operam daremus, et quod
Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines exi-
stimare oportere omnia *quae* cernerent deorum esse
plena; fore enim omnis castiores, veluti cum in fanis
essent maxime religiosis; est enim quaedam opinione
27 species deorum in oculis, non solum in mentibus. ean-
demque rationem luci habent in agris; neque ea, quae a
maioribus prodita est cum dominis tum famulis, posita
in fundi villaeque conspectu religio Larum repudianda est.

Iam ritus familiae patrumque servare id est, quoniam
antiquitas proxume accedit ad deos, a dis quasi traditam
religionem tueri. quod autem ex hominum genere con-
secratos, sicut Herculem et ceteros, coli lex iubet, indi-
cat omnium quidem animos inmortalis esse, sed fortium
28 bonorumque divinos. bene vero, quod Mens, Pietas,
Virtus, Fides consecratur humana: quarum omnium
Romae dedicata publice templa sunt, ut illa qui habeant
— habent autem omnes boni — deos ipsos in animis
suis conlocatos putent. nam illud vitiosum Athenis,
quod, Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete sua-
dente fecerunt Contumeliae fanum et Inpudentiae; vir-
tutes enim, non vitia consecrare decet. araque vetusta
in Palatio Febris et altera Esquiliis Malae Fortunae de-
testanda atque omnia eius modi repudianda sunt. quod
si fingenda nomina, † Vicaepotae potius [vincendi] at-
que [potiundi] Statae [standi] cognominaque Statoris et
Invicti Iovis rerumque expetendarum nomina, Salutis,
Honoris, Opis, Victoriae; quoniamque exspectatione
rerum bonarum erigitur animus, recte etiam Spes a
Calatino consecrata est. Fortunaque, *quae* est vel Huius
diei — nam valet in omnis dies — vel Respiciens ad opem
ferendam, vel Fors, in quo incerti casus significantur
magis, vel Primigenia a gignendo, comes tum * * *

Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requie- 12 29
tem litium habet et iurgiorum, in servis operum et laborum; quas conpositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. quod *ad* tempus ut [sacrificiorum] libamenta serventur fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est; quod institutum perite a Numa posteriorum pontificum neglegentia dissolutum est. iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes et respondendi iuris et conficiendarum religionum facultatem adferunt. cumque Vesta quasi focum urbis, ut Graeco nomine est appellata, quod nos prope idem Graecum, *non* interpretatum nomen tenemus, conplexa sit, ei colendae virgines praesint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis et sentiant mulieres naturam feminarum omnem castitatem pati.

Quod sequitur vero, non solum ad religionem perti- 30
net, sed etiam ad civitatis statum, ut sine iis, qui sacris publice praesint, religioni privatae satis facere non possint; continet enim rem publicam consilio et auctoritate optimatium semper populum indigere, discriptioque sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit. nam sunt ad placandos deos alii constituti, qui sacris praesint sollemnibus, ad interpretanda alii praedicta vatium, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra
conlegium nosset. maximum autem et praestantissimum 31
in re publica ius est augurum cum auctoritate coniunctum. neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel instituta dimittere vel habita rescindere? quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur 'alio *die*' dixerit? quid magnificentius quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare aut non dare? [quid?] leges non iure rogatas tollere, ut

Titiam decreto conlegii, ut Livias consilio Philippi, con-
sulis et auguris? nihil domi, nihil militiae per magistra-
tus gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam pro-
13 32 bari? *Att.* Age, iam ista video fateorque esse magna,
sed est in conlegio vestro inter Marcellum et Appium,
optimos augures, magna dissensio — nam eorum ego in
libros incidi —, cum alteri placeat auspicia ista ad uti-
litatem esse rei publicae conposita, alteri disciplina
vestra quasi divinari videatur posse: hac tu de re quaero
quid sentias. *M.* Egone? divinationem, quam Graeci
μαντικήν appellant, esse sentio et huius hanc ipsam par-
tem, quae est in avibus ceterisque signis, † quod disci-
plinae nostrae: si enim deos esse concedimus eorumque
mente mundum regi et eorum numen hominum consu-
lere generi et posse nobis signa rerum futurarum osten-
33 dere, non video cur esse divinationem negem. sunt
autem ea, quae posui, ex quibus id, quod volumus, effi-
citur et cogitur. iam vero permultorum exemplorum et
nostra est plena res publica et omnia regna omnesque
populi cunctaeque gentes, *ex* augurum praedictis multa
incredibiliter vera cecidisse; neque enim Polyidi neque
Melampodis neque Mopsi neque Amphiarai neque Cal-
chantis neque Heleni tantum nomen fuisset, neque tot
nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phry-
gum, Lycaonum, Cilicum maximeque Pisidarum, nisi
vetustas ea certa esse docuisset. nec vero Romulus
noster auspicato urbem condidisset, neque Atti Navii
nomen memoria floreret tam diu, nisi omnes ii multa ad
veritatem admirabilia dixissent. sed dubium non est
quin haec disciplina et ars augurum evanuerit iam et
vetustate et neglegentia: ita neque illi adsentior, qui
hanc scientiam negat umquam in nostro collegio fuisse,
neque illi, qui esse etiam nunc putat; quae mihi videtur
apud maiores fuisse duplex, ut ad rei publicae tempus
non numquam, ad agendi consilium saepissime pertine-
34 ret. *Att.* Credo hercle ita esse istique rationi potissimum
14 adsentior; sed redde cetera. *M.* Reddam vero et id, si
potero, brevi: sequitur enim de iure belli; in quo et
suscipiendo et gerendo et deponendo ius ut plurimum
valeret et fides eorumque ut publici interpretes essent,

lege sanximus. iam de haruspicum religione, de expia-
tionibus et procurationibus satis esse iam in ipsa lege
dictum puto. *Att.* Adsentior, quoniam omnis haec in
religione versatur oratio. *M.* At vero quod sequitur
quo modo aut tu adsentiare *aut* ego reprehendam sane
quaero, Tite. *Att.* Quid tandem id est? *M.* De noctur- 35
nis sacrificiis mulierum. *Att.* Ego vero adsentior, ex-
cepto praesertim in ipsa lege sollemni sacrificio ac pu-
blico. *M.* Quid ergo aget Iacchus Eumolpidaeque nostri
et augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tolli-
mus? non enim populo Romano, sed omnibus bonis
firmisque populis leges damus. *Att.* Excipis, credo, 36
illa, quibus ipsi initiati sumus. *M.* Ego vero excipiam:
nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenae
tuae peperisse atque in vitam hominum attulisse, tum
nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti inmanique
vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus, initiaque
ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus;
neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus,
sed etiam cum spe meliore moriendi. quid autem mihi
displiceat in nocturnis, poëtae indicant comici; qua li-
centia Romae data quidnam egisset ille, qui in sacrifi-
cium cogitatam libidinem intulit, quo ne inprudentiam
quidem oculorum adici fas fuit? *Att.* Tu vero istam
Romae legem rogato: nobis nostras ne ademeris. *M.* 15
Ad nostras igitur revertor: quibus profecto diligentis- 37
sime sanciendum est, ut mulierum famam multorum
oculis lux clara custodiat, initienturque eo ritu Cereri
quo Romae initiantur; quo in genere severitatem maio-
rum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus et con-
sulum exercitu adhibito quaestio [animadversio] declarat.
atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur,
in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua
sustulit; novos vero deos et in his colendis nocturnas
pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poëta vete-
ris comoediae, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam
alii dei peregrini iudicati e civitate eiciantur. publicus
autem sacerdos inprudentiam consilio expiatam metu
liberet, audaciam in admittendis religionibus foedis
damnet atque inpiam iudicet.

38 Iam ludi publici quoniam sunt cavea circoque divisi, sit corporum certatio*ni* cursu et pugillatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam circus constitutus, cavea cantu voce ac fidibus et tibiis, dum modo ea moderata sint, ut lege praescribitur. adsentior enim Platoni nihil tam facile in animos teneros atque mollis influere quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem: namque et incitat languentis et languefacit excitatos et tum remittit animos, tum contrahit, civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum conservari modum; quarum mores lapsi ad mollitias pariter sunt inmutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant, aut, cum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis
39 etiam huic mutationi locus. quam ob rem ille quidem sapientissimus Graeciae vir longeque doctissimus valde hanc labem veretur; negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. ego autem nec tam valde id timendum nec plane contemnendum puto. † illud quidem, quae solebant quondam conpleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut eadem exsultant et cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent! graviter olim ista vindicabat vetus illa Graecia, longe providens quam sensim pernicies inlapsa civium *in* animos malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret, si quidem illa severa Lacedaemo nervos iussit, quos plures quam septem haberet, in Timothei fidibus incidi.

16
40 Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis colantur optumi: de quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oraclum editum est 'eas quae essent in more maiorum.' quo cum iterum venissent maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum quaesissentque, quem morem potissimum sequerentur e variis, respondit 'optumum.' et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et deo proximum, quod sit optimum.

Stipem sustulimus nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idaeae Matris excepimus; inplet enim superstitione animos et exhaurit domus.

Sacrilego poena est, neque ei soli, qui sacrum abstu-
lerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum; quod et 41
nunc multis fit in fanis, *et* Alexander in Cilicia deposuisse
apud Solensis in delubro pecuniam dicitur et Athenien-
sis Clisthenes Iunoni Samiae, civis egregius, cum rebus
timeret suis, filiarum dotis credidisse.

Iam de periuriis, de incesto nihil sane hoc quidem
loco disputandum est.

Donis inpii ne placare audeant deos, Platonem audi-
ant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus deus, cum
vir nemo bonus ab inprobo se donari velit.

De diligentia votorum satis in lege dictum est † ac
voti sponsio, qua obligamur deo. poena vero violatae
religionis iustam recusationem non habet. quid ego hic
sceleratorum utar exemplis, quorum plenae sunt tragoe-
diae? quae ante oculos sunt, ea potius attingam. etsi
haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam
esse videatur, tamen, quoniam sermo mihi est apud vos,
nihil reticebo volamque hoc, quod loquar, dis inmortali-
bus gratum potius videri quam grave hominibus. cum 17 42
perditorum civium scelere discessu meo religionum iura
polluta sunt, vexati nostri Lares familiares, in eorum
sedibus exaedificatum templum Licentiae, pulsus a delu-
bris is, qui illa servarat, circumspicite celeriter animo —
nihil enim attinet quemquam nominari —, qui sint rerum
exitus consecuti: nos, qui illam custodem urbis omnibus
ereptis nostris rebus ac perditis violari ab inpiis passi
non sumus eamque ex nostra domo in ipsius patris do-
mum detulimus, iudicia senatus, Italiae, gentium deni-
que omnium conservatae patriae consecuti sumus; quo
quid accidere potuit homini praeclarius? quorum scelere
religiones tum prostratae adflictaeque sunt, partim ex
illis distracti ac dissipati iacent, qui vero ex iis et horum
scelerum principes fuerant et praeter ceteros in omni
religione inpii, non solum † vita cruciati atque dedecore,
verum etiam sepultura et iustis exsequiarum caruerunt.
Q. Equidem ista agnosco, frater, et meritas dis gratias 43
ago, sed nimis saepe secus aliquanto videmus evadere.
M. Non enim, Quinte, recte existimamus, quae poena
divina sit, sed opinionibus volgi rapimur in errorem nec

vera cernimus. morte aut dolore corporis aut luctu animi aut offensione iudicii hominum miserias ponderamus, quae fateor humana esse et multis bonis viris accidisse: sceleris est poena tristis et praeter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. vidimus eos, qui, nisi odissent patriam, numquam inimici nobis fuissent, ardentis tum cupiditate, tum metu, tum conscientia, *quid*quid agerent, modo timentis, vicissim contemnentis religiones, iudicia perrupta ab isdem [corrupta] hominum,
44 non deorum. reprimam iam me, non insequar longius, eoque minus, quo plus poenarum habeo quam petivi; tantum ponam brevi, duplicem esse poenam divinam eamque constare et ex vexandis vivorum animis et ex fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio vivorum et gaudio conprobetur.

18
45 Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus adsentior, qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur: 'terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est; quocirca ne quis iterum idem consecrato. aurum autem et argentum in urbibus et privatim et in fanis invidiosa res est. tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo. iam aes atque ferrum duelli instrumenta, non fani. ligneum autem quod*cum*que *quis* voluerit uno e ligno dicato, itemque lapideum, in delubris communibus; textile ne operosius quam mulieris opus menstruum. color autem albus praecipue decorus deo est cum in ceteris, tum maxime in textili: tincta vero absint nisi a bellicis insignibus. divinissima autem dona aves et formae ab uno pictore uno absolutae die, itemque cetera huius exempli dona sunto.' haec illi placent. sed ego cetera non tam restricte praefinio, vel hominum vitiis vel insidiis temporum victus: terrae cultum segniorem suspicor fore, si ad eam utendam ferroque subigendam superstitionis aliquid accesserit.

Att. Habeo ista: nunc de sacris perpetuis et de Manium iure restat. *M.* O miram memoriam, Pomponi,
46 tuam! at mihi ista exciderant. *Att.* Ita credo, sed tamen hoc magis eas res et memini et exspecto, quod et ad pontificium ius et ad civile pertinent. *M.* Vero, et a

peritissimis sunt istis de rebus et responsa et scripta
multa, et ego in hoc omni sermone nostro, quod ad
cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit,
tractabo quoad potero eius ipsius generis ius civile no-
strum, sed ita, locus ut ipse notus sit, ex quo ducatur
quaeque pars iuris, ut non difficile sit, qui modo ingenio
sit mediocri, quaecumque nova causa consultatiove acci-
derit, eius tenere ius, cum scias a quo sit capite repeten-
dum. sed iuris consulti, sive erroris obiciundi causa, 19 47
quo plura et difficiliora scire videantur, sive, quod simi-
lius veri est, ignoratione docendi — nam non solum
scire aliquid artis est, sed quaedam ars *est* etiam docendi
— saepe, quod positum est in una cognitione, id *in* infi-
nitam dispertiuntur: velut in hoc ipso genere, quam
magnum illud Scaevolae faciunt, pontifices ambo et
eidem iuris peritissimi! ‘saepe’ inquit Publii filius ‘ex
patre audivi pontificem bonum neminem esse nisi qui
ius civile cognosset.’ totumne? quid ita? quid enim ad
pontificem de iure parietum aut aquarum aut ullo om-
nino nisi eo, quod cum religione coniunctum est? id
autem quantulum est! de sacris, credo, de votis, de
feriis et de sepulcris et si quid eius modi est. cur igitur
haec tanta facimus, cum cetera perparva sint, de sacris
autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut
conserventur semper et deinceps familiis prodantur, et,
ut in lege posui, perpetua sint [sacra]? [exposite haec 48
iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte
patris familias sacrorum memoria occideret, iis essent ea
adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.] hoc
uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis,
innumerabilia nascuntur, quibus inplentur iuris consul-
torum libri; quaeritur enim, qui adstringantur sacris.
heredum causa iustissima est; nulla est enim persona,
quae ad vicem eius, qui e vita emigrarit, propius acce-
dat. deinde, qui morte testamentove eius tantundem
capiat quantum omnes heredes: id quoque ordine; est
enim ad id, quod positum est, adcommodatum. tertio
loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quae eius fue-
rint, cum moritur, usu ceperit plurimum possidendo.
quarto, qui, si nemo sit qui ullam rem ceperit, de credi-

49 toribus eius plurimum servet. extrema illa persona est,
ut, si is, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, ne-
mini eam solverit, proinde habeatur quasi eam pecuniam
20 ceperit. haec nos a Scaevola didicimus, non ita de-
scripta ab antiquis. nam illi quidem his verbis doce-
bant, tribus modis sacris adstringi: hereditate, aut si
maiorem partem pecuniae capiat, aut [si maior pars pe-
50 cuniae legata est] si inde quippiam ceperit. sed ponti-
ficem sequamur. videtis igitur omnia pendere ex uno
illo, quod pontifices cum pecunia sacra coniungi volunt
isdemque hereditates et caerimonias adscribendas putant.
atque etiam dant hoc Scaevolae, [quod est partitio,] ut,
si in testamento deductio scripta non sit ipsique minus
ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne
adligentur. in donatione hoc idem secus interpretantur:
quod pater familias in eius donatione, qui in ipsius po-
testate est, adprobavit, ratum est; quod eo insciente
51 factum est, si id is non adprobat, ratum non est. his
propositis quaestiunculae multae nascuntur, quas qui
intellegat non, si ad caput referat, per se ipse facile
perspiciat? veluti, si minus quis cepisset, ne sacris ad-
ligaretur, et post de eius heredibus aliquis exegisset pro
sua parte id, quod ab eo, cui ipse heres esset, praeter-
missum fuisset, eaque pecunia non minor esset facta
cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset
relicta, qui eam pecuniam exegisset, solum sine cohere-
dibus sacris adligari. quin etiam cavent, ut, cui plus
legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes
et libram heredes testamenti solvat, propterea quod eo
loco res est ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata
21 non esset. hoc ego loco multisque aliis quaero a vobis,
52 Scaevolae, pontifices maximi et homines meo quidem
iudicio acutissimi, quid sit quod ad ius pontificium civile
adpetatis; civilis enim iuris scientia pontificium quodam
modo tollitis. nam sacra cum pecunia pontificum au-
ctoritate, nulla lege coniuncta sunt; itaque si vos tantum
modo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas,
sed quod idem iuris civilis estis peritissimi, hac scientia
illam eluditis. placuit P. Scaevolae et Ti. Coruncanio,
pontificibus maximis, itemque ceteris, eos, qui tantundem

caperent, quantum omnes heredes, sacris adligari. habeo ius pontificium. quid huc accessit ex iure civili? parti- 53
tionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur: inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. quod si hoc, qui testamentum faciebat, cavere noluisset, admonet iuris consultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat quam omnibus heredibus relinquatur. super*iores* dicebant, quicquid cepisset, adstringi: rursus sacris liberantur. hoc vero nihil ad pontificium ius, sed e medio est iure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitque ea non *adligata sacris.*

Venio ad Manium iura, quae maiores nostri et sapien- 54
tissime instituerunt et religiosissime coluerunt. Februario autem mense, qui tum extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt, quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, Decembri facere solebat. cuius ego rei causam cum mecum quaererem, Brutum reperiebam idcirco a more maiorum discessisse — nam Sisennam video causam cur is vetus institutum non servarit ignorare. Brutum autem maiorum nostrorum institutum temere neglexisse, non fit mihi veri simile, doctum hominem sane, cuius fuit Accius perfamiliaris —, sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. hostia autem maxima parentare, pietatis esse [adiunctum] putabat.

Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra et 22 55
gentem inferri fas negent esse, idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicavit. nec vero tam denicales, quae a nece appellatae sunt, quia resident mortui, quam ceterorum caelestium quieti dies feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. eas in eos dies conferre ius *est,* ut ipsius neque publicae feriae sint, totaque huius iuris conpositio pontificalis magnam religionem caerimoniamque declaret; neque necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus

sacrificii Lari [verbecibus] fiat, quem ad modum os
resectum terra obtegatur quaeque in porca contracta
iura sint, quo tempore incipiat sepulcrum esse et re-
56 ligione teneatur. ac mihi quidem antiquissimum sepul-
turae genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophon-
tem Cyrus utitur: redditur enim terrae corpus et ita
locatum ac situm quasi operimento matris obducitur.
eodemque ritu in eo sepulcro, quod *haud* procul a Fon-
tis ara est, regem nostrum Numam conditum accepimus
gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac
sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias
apud Anienem dissipari iussit Sulla victor, acerbiore
odio incitatus, quam * * sapiens fuisset quam fuit vehe-
57 mens. quod haud scio an timens *ne* suo corpori posset
accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari.
declarat enim Ennius de Africano: 'hic est ille situs.'
vere; nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt. nec tamen
eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta et porcus
caesus est. et quod nunc communiter in omnibus se-
pultis venit usu, *ut* humati dicantur, id erat proprium
tum in iis, quos humus iniecta contexerat, eumque mo-
rem ius pontificale confirmat. nam prius quam in os
iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus,
nihil habet religionis: iniecta gleba tumulus [et humatus
est ex gleba] vocatur, ac tum denique multa religiosa
iura conplectitur. itaque in eo, qui in nave necatus,
deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius fa-
miliam puram, quod os supra terram non exstaret; por-
cam heredi esse contractam et habendas triduum ferias
[et porco femina piaculum pati]; si in mari mortuus
esset, eadem praeter piaculum et ferias.

23 58 *Att.* Video quae sint in pontificio iure, sed quaero
ecquidnam sit in legibus. *M.* Pauca sane, Tite, et, ut
arbitror, non ignota vobis; sed ea non tam ad religio-
nem spectant, quam ad ius sepulcrorum. hominem
mortuum, inquit lex in duodecim, in urbe ne sepe-
lito neve urito. credo vel propter ignis periculum.
quod autem addit neve urito, indicat, non qui uratur
sepeliri, sed qui humetur. *Att.* Quid? qui post XII in
urbe sepulti sunt clari viri? *M.* Credo, Tite, fuisse aut

eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum
est, ut Poplicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri iure
tenuerunt, aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis
causa soluti legibus consecuti sunt. sed *ut* in urbe se-
peliri lex vetat, sic decretum a pontificum collegio, non
esse ius in loco publico fieri sepulcrum. nostis extra
portam Collinam aedem Honoris: aram in eo loco fuisse
memoriae proditum est; ad eam cum lamina esset in-
venta et in ea scriptum [lamina] HONORIS, ea causa fuit
aedis huius dedicandae. sed cum multa in eo loco se-
pulcra fuissent, exarata sunt; statuit enim collegium lo-
cum publicum non potuisse privata religione obligari.

Iam cetera in XII minuendi sumptus sunt lamentatio- 59
nisque funebris, translata de Solonis fere legibus. hoc
plus, inquit, ne facito: rogum ascea ne polito.
nostis quae sequuntur; discebamus enim pueri XII, ut
carmen necessarium, quas iam nemo discit. extenuato
igitur sumptu [tribus reciniis et † uincla purpurae et
decem tibicinibus] tollit etiam lamentationem: mulieres
genas ne radunto neve lessum funeris ergo ha-
bento. hoc veteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius
non satis se intellegere dixerunt, sed suspicari vestimenti
aliquod genus funebris, L. Aelius lessum quasi lugubrem
eiulationem, ut vox ipsa significat; quod eo magis iudico
verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. haec lau-
dabilia et locupletibus fere cum plebe communia; quod
quidem maxime e natura est, tolli fortunae discrimen
morte. cetera item funebria, quibus luctus augetur, XII 24 60
sustulerunt. homini, inquit, mortuo ne ossa legito,
quo post funus faciat. excipit bellicam peregrinam-
que mortem. haec praeterea sunt in legibus: servilis
unctura tollitor omnisque circumpotatio; quae et
recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent. ne sum-
ptuosa respersio, ne longae coronae nec acerrae
praetereantur. illa iam significatio est, laudis ornamenta
ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam
et ei, qui peperisset, et eius parenti sine fraude esse lex
inpositam iubet. credoque, quod erat factitatum, ut uni
plura *funera* fierent lectique plures sternerentur, id quo-
que ne fieret lege sanctum est. qua in lege cum esset

neve aurum addito, quam humane excipitur altera
[lege], ut cui auro dentes iuncti escunt, ast im
cum illo sepelirei ureive se fraude esto. et simul
61 illud videtote, aliud habitum esse sepelire et urere. duae
sunt praeterea leges de sepulcris, quarum altera privato-
rum aedificiis, altera ipsis sepulcris cavet: nam quod
rogum bustumve novum vetat propius sexaginta
pedes adiei aedis alienas invito domino, incen-
dium ut arceatur vetat; quod autem forum, id est ve-
stibulum sepulcri, bustumve usu capi vetat, tuetur
ius sepulcrorum. haec habemus in XII, sane secundum
naturam, quae norma legis est; reliqua sunt in more,
funus ut indicatur, si quid ludorum, dominusque funeris
62 utatur accenso atque lictoribus: honoratorum virorum
laudes in contione memorentur easque etiam cantus ad
tibicinem prosequatur, cui nomen neniae, quo vocabulo
etiam *apud* Graecos cantus lugubres nominantur.

25 *Q*. Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari
maiorumque sapientia admodum delector. *M*. Sed credo,
ut ceteri sumptus, sic etiam sepulcrorum modum recte
requiri: quos enim ad sumptus progressa iam ista res
sit, in C. Figuli sepulcro vidisse *te* credo. minimam
olim istius rei fuisse cupiditatem, multa exstant exempla
maiorum. nostrae quidem legis interpretes, quo capite
iubentur sumptus et luctum removere a deorum Ma-
nium iure, hoc intellegant in primis, sepulcrorum magni-
63 ficentiam esse minuendam. nec haec a sapientissimis
legum scriptoribus neglecta sunt: nam et Athenis iam
ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit, corpus terra
humandi, quod cum proxumi fecerant obductaque terra
erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi
matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expia-
tum ut vivis redderetur; sequebantur epulae, quas ini-
rent propinqui coronati, apud quos de mortui laude cum
quicquid veri erat praedicatum — nam mentiri nefas
64 habebatur —, iusta confecta erant. postea cum, ut
scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia
coepissent, Solonis lege sublata sunt: quam legem eis-
dem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam
coniecerunt; nam de tribus reciniis et pleraque illa So-

lonis sunt. de lamentis vero expressa verbis sunt: mulieres genas ne radunto neve lessum funeris ergo habento.

De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius 26
quam 'ne quis ea deleat neve alienum inferat', poenaque est, 'si quis bustum — nam id puto appellari τύμβον — aut monimentum' inquit 'aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.' sed post aliquanto propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico vidimus, lege sanctum est 'ne quis sepulcrum faceret operosius quam
quod decem homines effecerint triduo'; neque id opere 65
tectorio exornari nec hermas quos vocant licebat inponi, nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur; auget enim luctum
concursus hominum. quocirca Pittacus omnino acce- 66
dere quemquam vetat in funus ali*en*orum. sed ait rursus idem Demetrius increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est: quam consuetudinem lege minuit ipse; fuit enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis e re publica maxime tuendaeque civitatis peritissimus. is igitur sumptum minuit non solum poena, sed etiam tempore; ante lucem enim iussit efferri. sepulcris autem novis finivit modum; nam super terrae tumulum noluit quid*quam* statui nisi columellam tribus cubitis ne altiorem aut mensam aut labellum, et huic procurationi certum magistratum praefecerat.

Haec igitur Athenienses tui. sed videamus Plato- 27 67
nem, qui iusta funerum reicit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. de sepulcris autem dicit haec: vetat ex agro culto eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro; sed quae natura agri tantum modo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum ut conpleatur: quae autem terra fruges ferre et ut mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat neve vivus neve
mortuus. exstrui autem vetat sepulcrum altius quam 68
quod *quinque homines* quinque diebus absolverint, nec e

lapide excitari plus nec inponi quam quod capiat laudem mortui, incisam ne plus quattuor herois versibus, quos longos appellat Ennius. habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulcris summi viri, a quo item funerum sumptus praefinitur ex censibus a minis quinque usque ad minam. [deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum et reliqua post mortem tranquillitate bonorum, poenis impiorum.]

69 Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionum locum. *Q.* Nos vero, frater, et copiose quidem, sed perge cetera. *M.* Pergam equidem, et quoniam libitum est vobis me ad haec inpellere, hodierno sermone conficiam, spero, hoc praesertim die: video enim Platonem idem fecisse omnemque orationem eius de legibus peroratam esse uno aestivo die. sic igitur faciam et dicam de magistratibus; id enim est profecto, quod constituta religione rem publicam contineat maxime. *Att.* Tu vero dic et istam rationem quam coepisti tene.

M. TULLII CICERONIS
DE LEGIBUS
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Dis immortalibus proximi et dignitate et potestate sunt magistratus. Itaque constituta religione statim Cicero de magistratibus leges eodem modo prooemio et explicatione adiectis subiecit, quibus eorum genera, potestas imperiumque definiuntur. Ita autem sapienter a maioribus tota haec rei publicae pars constituta videbatur, ut non multum in ea novandum putaret. Itaque descriptionem magistratuum Romanam retinuit nec multum attulit novi. Explicationis magna pars interiit; in ea autem, quae mansit, egregiae et sapientes de legationibus liberis, de potestate tribunicia, de senatus sanctitate et integritate, de legibus tabellariis etc. disputationes reperiuntur. In epilogo significantur librorum, qui interciderunt, consequentium summaria.

Marcus. Sequar igitur, ut institui, divinum illum vi- 1 1
rum, quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo quam necesse est. *Att.* Platonem videlicet dicis. *M.* Istum ipsum, Attice. *Att.* Tu vero eum nec nimis valde unquam nec nimis saepe laudaveris; nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari volunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. *M.* Bene hercle faciunt. quid enim est elegantia tua dignius? cuius et vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. *Att.* Sane gaudeo, quod te interpellavi, quoniam quidem tam praeclarum mihi dedisti iudicii tui testimo-
nium; sed perge, ut coeperas. *M.* Laudemus igitur 2
prius legem ipsam veris et propriis generis sui laudibus. *Att.* Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. *M.* Videtis igitur magistratus hanc esse vim, ut praesit praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus: ut

enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistra-
tus, vereque dici potest magistratum legem esse loquen-
3 tem, legem autem mutum magistratum. nihil porro
tam aptum est ad ius condicionemque naturae — quod
cum dico, legem a me dici intellegi volo — quam im-
perium, sine quo nec domus ulla nec civitas nec gens
nec hominum universum genus stare nec rerum natura
omnis nec ipse mundus potest; nam et hic deo paret et
huic oboediunt maria terraeque et hominum vita iussis
2 4 supremae legis obtemperat. atque ut ad haec citeriora
veniam et notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus
quondam paruerunt: quod genus imperii primum ad ho-
mines iustissimos et sapientissimos deferebatur, idque
vel in re publica nostra maxime valuit, quoad ei regalis
potestas praefuit, deinde etiam deinceps posteris prode-
batur, quod in iis etiam, qui nunc regnant, manet; qui-
bus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed
non semper uni parere voluerunt. nos autem, quoniam
leges damus liberis populis, quaeque de optima re pu-
blica sentiremus, in sex libris ante diximus, accommo-
dabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus,
5 civitatis statum. magistratibus igitur opus est, sine quo-
rum prudentia ac diligentia esse civitas non potest, quo-
rumque discriptione omnis rei publicae moderatio conti-
netur; neque solum iis praescribendus est imperandi, sed
etiam civibus obtemperandi modus: nam et qui bene
imperat paruerit aliquando necesse est, et qui modeste
paret videtur qui aliquando imperet dignus esse. itaque
oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore im-
peraturum et illum, qui imperat, cogitare brevi tempore
sibi esse parendum. nec vero solum ut obtemperent
oboediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant dili-
gantque praescribimus, ut Charondas in suis facit legi-
bus; noster vero Plato Titanum e genere statuit eos,
qui ut illi caelestibus, sic hi adversentur magistratibus.
quae cum ita sint, ad ipsas iam leges veniamus, si pla-
cet. *Att.* Mihi vero et istud et ordo iste rerum placet.
3 6 *M.* Iusta imperia sunto, isque cives modeste
ac sine recusatione parento: magistratus nec
oboedientem et noxium civem multa, vinculis

verberibusve coherceto, ni par maiorve potestas populusve prohibessit, ad quos provocatio esto. cum magistratus iudicassit inrogassitve, per populum multae poenae certatio esto. militiae ab eo qui imperabit provocatio ne esto, quodque is, qui bellum geret, imperassit, ius ratumque esto.

Minores magistratus partiti iuris ploeres im ploera sunto. militiae, quibus iussi erunt, imperanto eorumque tribuni sunto: domi pecuniam publicam custodiunto, vincula sontium servanto, capitalia vindicanto, aes argentum aurumve publice signanto, litis contractas iudicanto, quodcumque senatus creverit agunto.

Suntoque aediles curatores urbis annonae 7
ludorumque sollemnium, ollisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto.

Censores populi aevitates, suboles, familias pecuniasque censento, urbis tecta templa, vias aquas, aerarium vectigalia tuento, populique partis in tribus discribunto, exin pecunias, aevitates, ordines partiunto, equitum peditumque prolem describunto, caelibes esse prohibento, mores populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto: bini sunto, magistratum quinquennium habento [reliqui magistratus annui sunto] eaque potestas semper esto.

Iuris disceptator, qui privata iudicet iudica- 8
rive iubeat, praetor esto: is iuris civilis custos esto: huic potestate pari quotcumque senatus creverit populusve iusserit, tot sunto.

Regio imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, consulendo praetores, iudices, consules appellamino: militiae summum ius habento, nemini parento: ollis salus populi suprema lex esto.

Eumdem magistratum, ni interfuerint decem 9
anni, ne quis capito: aevitatem annali lege servanto.

Ast quando duellum gravius, discordiae ci-

vium escunt, oenus ne amplius sex menses, si senatus creverit, idem iuris quod duo consules teneto, isque ave sinistra dictus populi magister esto: equitatumque qui regat habeto pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator.

Ast quando consules magisterve populi nec escunt, reliqui magistratus ne sunto: auspicia patrum sunto, ollique ec se produnto, qui comitiatu creare consules rite possiet.

Imperia, potestates, legationes, cum senatus creverit populusve iusserit, ex urbe exeunto, duella iusta iuste gerunto, sociis parcunto, se et suos continento, populi sui gloriam augento, domum cum laude redeunto.

Rei suae ergo ne quis legatus esto.

Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, ei tribuni eius sunto, quodque ii prohibessint quodque plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto neve plebem orbam tribunis relinquunto.

10 Omnes magistratus auspicium iudiciumque habento, exque is senatus esto: eius decreta rata sunto. ast potestas par maiorve prohibessit, perscripta servanto.

Is ordo vitio vacato, ceteris specimen esto.

Creatio magistratuum, iudicia populi, iussa vetita cum suffragio cosciscentur, optumatibus nota, plebi libera sunto.

4 Ast quid erit, quod extra magistratus coerari oesus sit, qui coeret populus creato eique ius coerandi dato.

Cum populo patribusque agendi ius esto consuli, praetori, magistro populi equitumque eique, quem patres produnt consulum rogandorum ergo; tribunisque, quos sibi plebes creassit, ius esto cum patribus agendi: idem ad plebem quod oesus erit ferunto.

Quae cum populo quaeque in patribus agentur, modica sunto.

11 Senatori, qui nec aderit, aut causa aut culpa

esto: loco senator et modo orato, causas populi teneto.

Vis in populo abesto. par maiorve potestas plus valeto. ast quid turbassitur in agendo, fraus actoris esto. intercessor rei malae salutaris civis esto.

Qui agent, auspicia servanto, auguri publico parento, promulgata, proposita, in aerario cognita agunto, nec plus quam de singulis rebus semul consulunto, rem populum docento, doceri a magistratibus privatisque patiunto.

Privilegia ne inroganto: de capite civis nisi per maximum comitiatum ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.

Donum ne capiunto neve danto neve petenda neve gerenda neve gesta potestate. quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto.

Censores fidem legum custodiunto: privati ad eos acta referunto nec eo magis lege liberi sunto.

Lex recitata est: discedere et tabellam iubebo dari. 5

Q. Quam brevi, frater, in conspectu posita est a te 12 omnium magistratuum discriptio, sed ea paene nostrae civitatis, etsi a te paulum adlatum est novi. *M.* Rectissime, Quinte, animadvertis; haec est enim, quam Scipio laudat in *illis* libris et quam maxime probat temperationem rei publicae, quae effici non potuisset nisi tali discriptione magistratuum. nam sic habetote, magistratibus iisque, qui praesint, contineri rem publicam et ex eorum conpositione, quod cuiusque rei publicae genus sit, intellegi. quae res cum sapientissime moderatissimeque constituta esset a maioribus nostris, nihil habui sane, non *modo* multum, quod putarem novandum in legibus. *Att.* Reddes igitur nobis, ut in religionis lege 13 fecisti admonitu et rogatu meo, sic de magistratibus, [ut disputes,] quibus de causis maxime placeat ista discriptio. *M.* Faciam, Attice, ut vis, et locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum et disputatum est, explicabo et, ut institui, nostra iura attingam. *Att.* Istud maxime exspecto disserendi genus. *M.* Atqui

pleraque sunt dicta in illis libris, [quod faciendum fuit,] cum de optuma re publica quaereretur; sed huius loci [de magistratibus] sunt propria quaedam, a Theophrasto primum, deinde a Diogene Stoico quaesita subtilius.

6 14 *Att.* Ain tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt? *M.* Non sane nisi ab eo, quem modo nominavi, et postea a magno homine et in primis erudito, Panaetio. nam veteres verbo tenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, de re publica disserebant: ab hac familia magis ista manarunt Platone principe. post Aristoteles inlustravit omnem hunc civilem in disputando locum Heraclidesque Ponticus profectus ab eodem Platone; Theophrastus vero, institutus ab Aristotele, habitavit, ut scitis, in eo genere rerum, ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in solem atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit: nam et mediocriter doctos magnos in re publica viros et doctissimos homines non nimis in re publica versatos multos commemorare possumus; qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest? *Att.* Puto posse et quidem aliquem de tribus nobis: sed perge, ut coeperas.

7 15 *M.* Quaesitum igitur ab illis est, placeret*ne* unum in civitate esse magistratum, cui reliqui parerent, quod exactis regibus intellego placuisse nostris maioribus; sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni quam regis vitiis repudiatum est, nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit,
16 si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit. qua re nec ephori Lacedaemone sine causa a Theopompo oppositi regibus nec apud nos consulibus tribuni. nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat, esset. hoc enim primum minuit consulare ius, quod exstitit ipse qui eo non teneretur, deinde quod attulit auxilium reli-

quis non modo magistratibus, sed etiam privatis consuli non parentibus. *Q.* Magnum dicis malum; nam ista 17
potestate nata gravitas optimatium cecidit convaluitque vis multitudinis. *M.* Non est, Quinte, ita. non ius enim illud solum superbius populo et violentius videri necesse erat, quo postea quam modica et sapiens temperatio accessit, † conuertem lex in omnis est * * *

Domum cum laude redeunto; nihil enim praeter 8 18
laudem bonis atque innocentibus neque ex hostibus neque a sociis reportandum. iam illud apertum est profecto, nihil esse turpius quam quemquam legari nisi rei publicae causa. omitto quem ad modum isti se gerant atque gesserint, qui legatione hereditates aut syngraphas suas persequuntur — in hominibus est hoc fortasse vitium —, sed quaero, quid reapse sit turpius quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo rei publicae munere? quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videbatur, tamen adprobante senatu frequentissimo, nisi mihi levis tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. minui tamen tempus et, quod erat infinitum, annuum feci. ita turpitudo manet diuturnitate sublata. sed iam, si placet, de provinciis decedatur in urbemque redeatur. *Att.* Nobis vero placet, sed his, qui in provinciis sunt, minime
placet. *M.* At vero, Tite, si parebunt his legibus, nihil 19
erit iis urbe, nihil domo sua dulcius, nec laboriosius molestiusque provincia.

[Sed] sequitur lex, quae sancit eam tribunorum plebis potestatem, quae *est* in re publica nostra: de qua disseri nihil necesse est. *Q.* At me hercule ego, frater, quaero, de ista potestate quid sentias; nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit: cuius primum ortum si recordari volumus, inter arma civium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum vidimus; deinde cum esset cito necatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore nescio quo pacto recreatus multoque taetrior et
foedior *re*natus est. quid enim ille non edidit? qui pri- 9
mum, ut inpio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, mi-

scuit; cum adflixisset principum gravitatem, numquam
20 tamen conquievit. namque ut C. Flaminium atque ea, quae iam prisca videntur propter vetustatem, relinquam, quid iuris bonis viris Tiberii Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante Decimum Brutum et P. Scipionem consules — quos et quantos viros! — homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus pl. C. Curiatius in vincula coniecit, quod ante factum non erat. C. vero Gracchus ruinis et iis sicis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem rei publicae statum perturbavit? quid iam de Saturnino, Sulpicio, reliquis dicam? quos ne depellere quidem
21 a se sine ferro potuit res publica. cur autem aut vetera aut aliena proferam potius quam et nostra et recentia? quis umquam tam audax, tam nobis inimicus fuisset, ut cogitaret umquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? quem cum homines scelerati ac perditi non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentis sibi in tenebris rei publicae perturbandas putaverunt. quod nobis quidem egregium et ad inmortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri,
22 nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno. sed ille quas strages edidit! eas videlicet, quas sine ratione ac sine ulla spe bona furor edere potuit inpurae beluae multorum inflammatus furoribus. quam ob rem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis pl. sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit, Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque ecfero laudibus, de tribunicia potestate taceo; nec enim reprehendere
10
23 libet nec laudare possum. *M.* Vitia quidem tribunatus praeclare, Quinte, perspicis, sed est iniqua in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio vitiorumque selectio: nam isto quidem modo vel consulatus vituperari potest, si consulum, quos enumerare nolo, peccata conlegeris; ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali, sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. 'nimia potestas est tribunorum pl.' quis negat? sed vis populi

multo saevior multoque vehementior, quae, ducem quod
habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet; dux
enim suo *se* periculo progredi cogitat, populi impetus
periculi rationem sui non habet. 'at aliquando incendi- 24
tur.' et quidem saepe sedatur. quod enim est tam de-
speratum collegium, in quo nemo e decem sana mente
sit? quin ipsum Ti. Gracchum non solum neglectus, sed
etiam sublatus intercessor evertit; quid enim illum aliud
perculit nisi quod potestatem intercedenti collegae abro-
gavit? sed tu sapientiam maiorum in illo vide: con-
cessa plebi a patribus ista potestate arma ceciderunt,
restincta seditio est, inventum est temperamentum, quo
tenuiores cum principibus aequari se putarent, in quo
uno fuit civitatis salus. 'at duo Gracchi fuerunt.' et
praeter eos quamvis enumeres multos licet, cum deni
crearentur, non nullos in omni memoria reperies pernicio-
sos tribunos, leves etiam quam bonos fortasse plures:
invidia quidem summus ordo caret, plebes de suo iure
periculosas contentiones nullas facit. quam ob rem aut 25
exigendi reges non fuerunt aut plebi re, non verbo danda
libertas: quae tamen sic data est, ut multis praeclaris
institutis adduceretur, ut auctoritati principum cederet.
nostra autem causa, quae, optume et dulcissume frater, 11
incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit contentio-
nis cum tribunatu; non enim plebes [incitata] nostris
rebus invidit, sed vincula soluta sunt et servitia incitata,
adiuncto terrore etiam militari. neque nobis cum illa
tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo rei publi-
cae tempore, cui *nisi* cessissem, non diuturnum beneficii
mei patria fructum tulisset. atque haec rei exitus indi-
cavit: quis enim non modo liber, *sed* servus libertate
dignus fuit, cui nostra salus cara non esset? quod si is 26
casus fuisset rerum, quas pro salute rei publicae gessi-
mus, ut non omnibus gratus esset, et si nos multitudi-
nis furentis inflammata invidia pepulisset tribuniciaque
vis in me populum, sicut Gracchus in Laenatem, Satur-
ninus in Metellum, incitasset, ferremus, o Quinte frater,
consolarenturque nos non tam philosophi, qui Athenis
fuerunt, [qui hoc facere debent,] quam clarissimi viri,
qui illa urbe pulsi carere ingrata civitate quam manere

in inproba maluerunt. Pompeium vero quod una ista in re non ita valde probas, vix satis mihi illud videris attendere, non solum ei quid esset optimum videndum fuisse, sed etiam quid necessarium: sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem; quippe quam tanto opere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? sapientis autem civis fuit causam nec perniciosam et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. scis solere, frater, in huius modi sermone, ut transiri alio possit, dici 'admodum' aut 'prorsus ita est.' *Q.* Haud equidem adsentior, tu tamen ad reliqua pergas velim. *M.* Perseveras tu quidem et in tua vetere sententia permanes. *Att.* Nec me hercule ego sane a Quinto nostro dissentio, sed ea quae restant audiamus.

12 27 *M.* Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et iudicia dantur: iudicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur, auspicia, ut multos inutilis comitiatus probabiles inpedirent morae; saepe enim populi impetum iniustum auspiciis di inmortales represserunt. ex iis autem, qui magistratum ceperunt, quod senatus efficitur, populare *est* sane neminem in summum locum nisi per populum venire sublata cooptatione censoria. sed praesto est huius vitii temperatio, quod senatus lege no-
28 stra confirmatur auctoritas; sequitur enim: eius decreta rata sunto. nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii quodque is creverit defendant omnes, et, si ordines reliqui principis ordinis consilio rem publicam gubernari velint, possit ex temperatione iuris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status, praesertim si proximae legi parebitur; nam proximum est: is ordo vitio careto, ceteris specimen esto. *Q.* Praeclara vero, frater, ista lex *est,* sed et late patet ut vitio ca-
29 reat ordo et censorem quaerit interpretem. *Att.* Ille vero etsi tuus est totus ordo gratissimamque memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censo-
13 res, sed etiam iudices omnis potest defatigare. *M.* Omitte ista, Attice; non enim de hoc senatu nec iis de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legi-

bus parere voluerint, haec habetur oratio: nam cum
omni vitio carere lex iubeat, ne veniet quidem in eum
ordinem quisquam vitii particeps. id autem difficile
factu est nisi educatione quadam et disciplina, de qua
dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci aut temporis.
Att. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem le- 30
gum, tempus vero largitur longitudo diei. ego autem,
etiam si praeterieris, repetam a te istum de educatione
et de disciplina locum. *M.* Tu vero et istum, Attice,
et si quem alium prae*teriero*. '*ce*teris specimen esto.'
quod si *tenemus*, tenemus omnia: ut enim cupiditatibus
principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari
et corrigi continentia. vir magnus et nobis omnibus ami-
cus, L. Lucullus, ferebatur quasi commodissime respon-
disset, cum esset obiecta magnificentia villae Tuscula-
nae, duo se habere vicinos, superiorem equitem Romanum,
inferiorem libertinum: quorum cum essent magnificae
villae, concedi sibi oportere, quod iis, qui inferioris ordi-
nis essent, liceret. non vides, Luculle, a te id ipsum
natum, ut illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non
liceret. quis enim ferret istos, cum videret eorum villas 31
signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sa-
cris et religiosis? quis non frangeret eorum libidines, nisi
illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatibus eisdem
tenerentur? nec enim tantum mali est peccare principes, 14
quamquam est magnum hoc per se ipsum malum, quan-
tum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt.
nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum,
qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civita-
tem fuisse; quaecumque mutatio morum in principibus
exstiterit, eandem in populo secutam. idque haud paulo 32
est verius quam quod Platoni nostro placet, qui musico-
rum cantibus ait mutatis mutari civitatum status: ego
autem nobilium vita victuque mutato mores mutari civi-
tatum puto; quo perniciosius de re publica merentur
vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi,
sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt, quod
ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt plusque
exemplo quam peccato nocent. atque haec lex, dilatata
in ordinem cunctum, coangustari etiam potest; pauci

enim atque admodum pauci honore et gloria amplificati
vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt. sed
haec et nunc satis et in illis libris tractata sunt diligen-
tius: qua re ad reliqua veniamus.

15 33 Proximum autem est de suffragiis, quae iubeo nota
esse optimatibus, populo libera. *Att.* Ita me hercule
attendi, nec satis intellexi quid sibi lex aut quid verba
ista vellent. *M.* Dicam, Tite, et versabor in re difficili
ac multum et saepe quaesita, suffragia [in magistratu
mandando ac de reo iudicando atque in legum rogatione]
clam an palam ferri melius esset. *Q.* An etiam id du-
bium est? vereor ne a te rursus dissentiam. *M.* Non
facies, Quinte. nam ego in ista sum sententia, qua te
fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce me-
34 lius, sed obtinerine iam possit videndum est. *Q.* Atqui,
frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime et
fallit inperitos et obest saepissime rei publicae, cum ali-
quid verum et rectum esse dicitur, sed obtineri, id est,
obsisti posse populo negatur. primum enim obsistitur,
cum agitur severe; deinde vi opprimi in bona causa est
melius quam malae cedere. quis autem non sentit om-
nem auctoritatem optimatium tabellariam legem abstu-
lisse? quam populus liber numquam desideravit, idem
oppressus dominatu ac potentia principum flagitavit.
itaque graviora iudicia de potentissimis hominibus ex-
stant vocis quam tabellae. quam ob rem suffragandi
nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potenti-
bus, non latebra danda populo, in qua bonis ignoranti-
bus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret
suffragium. itaque isti rationi neque lator quisquam est
16 35 inventus nec auctor umquam bonus. sunt enim quattuor
leges tabellariae, quarum prima de magistratibus man-
dandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto et sor-
dido. secuta biennio post Cassia est de populi iudiciis,
a nobili homine lata, L. Cassio, sed — pace familiae
dixerim — dissidente a bonis atque omnis rumusculos
popularis àurae aucupante. Carbonis est tertia de iuben-
dis legibus ac vetandis, seditiosi atque inprobi civis, cui
ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit ad-
36 ferre. uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium,

quod ipse Cassius exceperat, perduellionis: dedit huic
quoque iudicio C. Caelius tabellam doluitque, quoad
vixit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse rei publi-
cae. et avus quidem noster singulari virtute in hoc mu-
nicipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matri-
monio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem
tabellariam: excitabat enim fluctus in simpulo, ut dici-
tur, Gratidius, quos post filius eius in Aegaeo excitavit
mari. ac nostro quidem avo, cum res esset ad senatum
delata, M. Scaurus consul 'utinam,' inquit 'M. Cicero,
isto animo atque virtute in summa re publica nobiscum
versari quam in municipali maluisses!' quam ob rem, 37
quoniam non recognoscimus nunc leges populi Romani,
sed aut repetimus ereptas aut novas scribimus, non quid
hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit tibi di-
cendum puto. nam Cassiae legis culpam Scipio tuus
sustinet, quo auctore lata esse dicitur. tu, si tabella-
riam tuleris, ipse praestabis; nec enim mihi placet nec
Attico nostro, quantum e voltu eius intellego. *Att.* Mihi 17
vero nihil umquam populare placuit eamque optimam
rem publicam esse dico, quam hic consul constituerat,
quae sit in potestate optimorum. *M.* Vos quidem, ut 38
video, legem antiquastis sine tabella. sed ego, etsi satis
dixit pro se in illis libris Scipio, tamen ita libertatem
istam largior populo, ut auctoritate et valeant et utantur
boni; sic enim a me recitata lex est de suffragiis: 'opti-
matibus nota, plebi libera sunto.' quae lex hanc senten-
tiam continet, ut omnis leges tollat, quae postea latae
sunt, quae tegunt omni ratione suffragium, ne quis in-
spiciat tabellam, ne roget, ne appellet; pontis etiam lex
Maria fecit angustos. quae si opposita sunt ambitiosis, 39
ut sunt fere, non reprehendo; sin valuerint tantum leges,
ut desinat ambitus, habeat sane populus tabellam quasi
vindicem libertatis, dum modo haec optimo cuique et
gravissimo civi ostendatur ultroque offeratur, ut in eo
sit ipso libertas, in quo populo potestas honeste bonis
gratificandi datur. eoque nunc fit illud, quod a te modo,
Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet,
quam solebat vox, quia populo licere satis est: hoc re-
tento reliqua voluntas auctoritati aut gratiae traditur.

itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non vi-
des, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis quid
optimi viri sentiant? quam ob rem lege nostra libertatis
species datur, auctoritas bonorum retinetur, contentionis
causa tollitur.

18 40 Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi
aut cum senatu. gravis et, ut arbitror, praeclara est
lex: '*quae cum populo* quaeque in patribus agentur, mo-
dica sunto,' id est modesta atque sedata; actor enim
moderatur et fingit non modo mentem ac voluntates, sed
paene voltus eorum, apud quos agit. quod est in senatu
non difficile; est enim senator is, cuius non ad auctorem
referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. huic
iussa tria sunt: ut adsit; nam gravitatem res habet, cum
frequens ordo est; ut loco dicat, id est rogatus; ut modo,
ne sit infinitus; nam brevitas non modo senatoris, sed
etiam oratoris magna laus est [in sententia], nec est um-
quam longa oratione utendum, nisi aut peccante senatu,
quod fit ambitione saepissime, nullo magistratu adiu-
vante tolli diem utile est, aut cum tanta causa est, ut
opus sit oratoris copia vel ad hortandum vel ad docen-
dum; quorum generum in utroque magnus noster Cato
41 est. quodque addit 'causas populi teneto', est senatori
necessarium nosse rem publicam, idque late patet: quid
habeat militum, quid valeat aerario, quos socios [res pu-
blica] habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quis-
que sit lege, condicione, foedere; tenere consuetudinem
decernendi, nosse exempla maiorum. videtis iam genus
hoc omne esse scientiae, diligentiae, memoriae, sine quo
paratus esse senator nullo pacto potest.

42 Deinceps sunt cum populo actiones, in quibus pri-
mum et maximum: 'vis abesto.' nihil est enim exitiosius
civitatibus, nihil tam contrarium iuri ac legibus, nihil
minus civile et humanum quam conposita et constituta
re publica quicquam agi per vim. parere iubet interces-
sori, quo nihil praestantius; inpediri enim bonam rem
19 melius quam concedi malae. quod vero actoris iubeo
esse fraudem, id totum dixi ex Crassi, sapientissimi ho-
minis, sententia: quem est senatus secutus, cum decre-
visset C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione re-

ferente, invito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, simul atque intercessum turbarique coeptum sit, dimittere. quod qui permovet, cum agi nihil potest, vim quaerit, cuius inpunitatem amittit hac lege. sequitur illud: 'intercessor rei 43
malae salutaris civis esto.' quis non studiose rei publicae subvenerit hac tam praeclara legis voce laudatus? sunt deinde posita deinceps, quae habemus etiam in publicis institutis atque legibus: 'auspicia servanto, auguri *p.* parento.' est autem boni auguris meminisse *se* maximis rei publicae temporibus praesto esse debere Iovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos, quos in auspicio esse iusserit, caelique partis sibi definitas esse traditas, e quibus saepe opem rei publicae ferre possit. deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis magistratibusve audiendis.

Tum leges praeclarissimae de duodecim tabulis tra- 44
latae duae, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari nisi maximo comitiatu vetat. et nondum inventis seditiosis tribunis pl., ne cogitatis quidem, admirandum tantum maiores in posterum providisse. in privatos homines leges ferri noluerunt; id est enim privilegium: quo quid est iniustius? cum legis haec vis sit, *ut sit* scitum et iussum in omnis. ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt; discriptus enim populus censu, ordinibus, aetatibus plus adhibet ad suffragium consilii quam fuse in tribus convocatus. quo verius in 45
causa nostra vir magni ingenii summaque prudentia, L. Cotta, dicebat nihil omnino actum esse de nobis; praeter enim quam quod omnia illa essent armis gesta servilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse posse neque ulla privilegii: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. sed visum est et vobis et clarissimis viris melius, de quo servi et latrones scivisse *se* aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam quid sentiret ostendere.

Sequitur de captis pecuniis et de ambitu; quae cum 20 46
magis iudiciis quam verbis sancienda sint, adiungitur 'noxiae poena par esto', ut in suo vitio quisque plectatur:

vis capite, avaritia multa, honoris cupiditas ignominia
sanciatur. extremae leges sunt nobis non usitatae, rei
publicae necessariae. legum custodiam nullam habe-
mus, itaque eae leges sunt, quas adparitores nostri vo-
lunt: a librariis petimus, publicis litteris consignatam
memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc dili-
gentius, apud quos *νομοφύλακες* creabantur; nec ii so-
lum litteras — nam id quidem etiam apud maiores
nostros erat —, sed etiam facta hominum observabant
47 ad legesque revocabant. haec detur cura censoribus,
quando quidem eos in re publica semper volumus esse:
apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant,
quid in magistratu gesserint, deque iis censores praeiu-
dicent. hoc in Graecia fit publice constitutis accusatori-
bus, qui quidem graves esse non possunt, nisi sunt
voluntarii; quocirca melius *est* rationes referri causamque
exponi censoribus, integram tamen legi, accusatori iudi-
cioque servari. sed satis iam disputatum est de magi-
stratibus, nisi forte quid desideratis. *Att.* Quid? si nos
tacemus, locus ipse te non admonet, quid tibi sit deinde
dicendum? *M.* Mihine? de iudiciis arbitror, Pomponi;
48 id est enim iunctum magistratibus. *Att.* Quid? de iure
populi Romani, quem ad modum instituisti, dicendum
nihil putas? *M.* Quid tandem hoc loco est quod requi-
ras? *Att.* Egone? quod ignorari ab iis, qui in re pu-
blica versantur, turpissimum puto: nam ut modo a te
dictum est leges a librariis peti, sic animadverto pleros-
que in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere,
quantum adparitores velint. quam ob rem, si de sacro-
rum alienatione dicendum putasti, cum de religione le-
ges proposueras, faciendum tibi est ut, magistratibus
49 lege constitutis, de potestatum iure disputes. *M.* Faciam
breviter, si consequi potuero; nam pluribus verbis scri-
psit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite meo qui-
dem iudicio et diligenter; nos autem de iure naturae
cogitare per nos atque dicere debemus, de iure populi
Romani quae relicta sunt et tradita. *Att.* Sic prorsum
censeo et id ipsum, quod dicis, exspecto.

FRAGMENTA LIBRORUM DE LEGIBUS.

1. Lactantius instit. div. V, 8. *Nunc autem mali sunt ignoratione recti ac boni. quod quidem Cicero vidit; disputans enim de legibus* Sicut una *inquit* eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi pravitate dissentiunt, nec se intellegunt esse consanguineos et subiectos sub unam eandemque tutelam: quod si teneretur, deorum profecto vitam homines viverent.

2. Lactantius inst. div. I, 20. Magnum *Cicero* audaxque consilium suscepisse Graeciam *dicit,* quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset; *adulatus est videlicet Attico et irrisit hominem familiarem.*

3. Lactantius inst. div. III, 19. *At illi, qui de mortis bono disputant, sic argumentantur: si nihil est post mortem, non est malum mors; aufert enim sensum mali. si autem supersunt animae, est etiam bonum, quia immortalitas sequitur. quam sententiam Cicero de legibus sic explicavit:* gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem quam qui est in vita aut certe non deteriorem adlatura est statum; nam sine corpore animo vigente divina vita est, sensu carente nihil profecto est mali.

[4. Augustinus de civ. dei XXI, 11. Octo genera poenarum in legibus esse *scribit Tullius,* damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. (*Eadem verba sic affert Isidorus Origg.* V, 27: Octo genera poenarum in legibus contineri *Tullius scripsit,* damnum -- servitutem et mortem. *his namque poenis vindicatur omne perpetratum peccatum.*)

5. Servius ad Verg. Aen. V, 16. *Cicero ait in libris legum:* stipem prohibeo; nam auget superstitionem et exhaurit domos. *dignis igitur largiendum est.*]

6. Macrobius de differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi 17, 6. et Auctor incertus de verbo V, 6. ed Ian. p. 160. ed. Endl. *Graeci in coniunctivo modo tempora bina coniungunt; proprium Latinorum est, ut modo indicativa pro coniunctivis, modo coniunctiva pro in-*

dicativis ponant. Cicero de legibus tertio: Qui poterit socios tueri, si dilectum rerum utilium et inutilium non habebit?

7. Macrobius Saturn. VI, 4, 8. *Sunt qui aestiment hoc verbum* umbracula *Virgilio auctore conpositum, cum Varro rerum divinarum libro decimo dixerit:* nonnullis magistratibus in oppido id genus umbraculi concessum, *et Cicero in quinto de legibus:* Visne igitur, quoniam sol paululum a meridie iam devexus videtur nequedum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim eaque quae restant in illis alnorum umbraculis persequamur?

DE IURE CIVILI.

Quintilianus XII, 3, 10. *M. Tullius non modo inter agendum numquam est destitutus scientia iuris, sed etiam componere aliqua de eo coeperat, ut appareat posse oratorem non discendo tantum iuri vacare, sed etiam docendo.*

8. Gellius Noct. Att. I, 22, 7. *M. Cicero in libro, qui inscriptus est de iure civili in artem redigendo verba haec posuit:* nec vero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. *in quo loco* superfuit *significare videtur 'supra fuit et praestitit superavitque maiores suos doctrina sua, superfluenti tamen et nimis abundanti'; disciplinas enim Tubero stoicas et dialecticas percalluerat.*

9. Charisius instit. gramm. I. p. 138, 2 et 13. ed. Keil. *Nobile, si homo vocetur, ablativo per e; nobili, si res aliqua praedicetur. - - Nobile Cicero de iure civili:* aliquo excellente ac nobile viro.